




יהוה




ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ


PS. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι

DE PROPHETARUM MINORUM VERSIONIS SYRIACAE QUAM PESCHITO DICUNT INDOLE.

DISSERTATIONES PHILOLOGICO - CRITICAE.

DISSERTATIO I.

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA IENENSI ORDINE

SIBI DELATIS

SCRIPSIT

CARLOUS AUGUSTUS CREDNER

GOTHANUS.

GOTTINGAE,

TYPIS DIETERICHIANIS

MDCCCXXVII.

VIRO

SUMME VENERANDO

HENRICO MIDDELDORPF

THEOL. ET PHIL. DOCT. ILLIUSQUE IN ACAD.
VRATISLAVIENSI P. P. O.

PRAECEPTORI CARISSIMO

HUNCCE LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI INTERPRETEM

ESSE JUBET

AUCTOR.

§. 1.

Instituti ratio.

Sacri codicis inter versiones, quae ex antiquitate ad nos pervenerunt, versionem Syriacam, quam vulgo Peschito appellant, praestare, inter Viros Doctos omnino constat. Plerumque versio haec textum, quem sequitur, ad verbum exprimit: sed in hoc solo sibi non acquiescit. Non solum enim orationis cultu probatur, sed saepe etiam penitius Hebraei sententiam indagat, quam, singula melius concinnans, planiorem reddit. Dices fortasse, haec, quibus Peschito eminet, magnae potius affinitati, quae est inter linguam Hebraicam et Syriacam, quam interpreti esse tribuenda. Omnino haec utriusque linguae affinitas interpreti multum profuit, haud vero omne ab ea pendet hujus versionis pretium. Quodsi enim versio nostra et orationis nitore atque perspicuitate, et sententiae, quam reddit, integritate atque acumine se commendat, haec ejus praestantia magis ab interpretis ingenio et dexteritate quam, quae linguae Syriacae cum Hebraica intercedit, ab affinitate est repetenda. Nunquam adeo sibi indulsit interpres, ut textus Hebraici singula verba nimis anxie curans, ab linguae Syriacae loquendi usu plane alienas aut verborum aut periodorum construendarum rationes versioni suae injunxisset; sed in

interpretando Hebraeo versionem ita moderatus est, ut eam linguae Syriacae accomodaret legibus.

Quamvis autem de hujus versionis pretio dubitari omnino non possit, plura tamen adhuc supersunt, quae accuratius explorentur, digna. Enimvero enim in tot saeculorum decursu fieri non potuit, quin versioni Peschito a genuina conditione, tam scribarum et editorum incuria atque negligentia, quam ipsorum Syrorum pernicioso emendandi studio, aliisque de causis, quas singulas referre non hujus loci esset, multa detraherentur; a quibus maculis et vitiis nobis, hujus versionis genuinam, quantum fieri potest, indolem perscrutaturis, est cavendum. Itaque artis criticae ope spuria detegantur, detecta emendentur oportet. Porro, in Veteris Testamenti libris vertendis interpretem textum Hebraicum tuitum esse, sententia diu steterat [1];

[1]) Jam EPHRAEM SYRI aetate hanc apud Syros obtinuisse sententiam, ex iis colligi posset, quae in ejus commentario ad librum Josuae 15, 28. leguntur. Hoc loco, ubi Hebraicum בִּזְיוֹתְיָה versio Peschito recte retinuit, *inique* observatur (Opp. I. p. 305):

ܟܕ ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܗܢܘܢ ܕܦܫܩܘ ܠܥܒܪܝܐ
ܡܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܚܝܠܗ ܕܡܠܬܐ ܥܒܪܝܬܐ
ܒܙܘܬܝܗ ܐܚܕܘܗ ܗܘܘ *quia nesciebant, qui licet perverse interpretati sunt, quaenam sit vis vocis Hebraicae* בזיותיה, *ipsam retinuerunt.* Inde etiam, plures interpretes statuisse Ephraemum, probaretur; sed hunc locum suspectae esse fidei infra docebimus (cf. §. 5. Nr. 6 et §. 7). Certo GREGORIUS BARHEBRAEUS versionem Peschito

quum, versionem Peschito ad Origenis hexapla esse conformatam, SEMLERUS conjiceret [1]); propterea a re non alienum erit inquirere, utrum hexaplorum vestigia apud Syrum nostrum inveniantur. Jam pridem porro Viri Docti, esse quandam inter versionem Syriacam et Graecam Alexandrinorum nexum, animadverterant [2]) et similem nexum inter versionem Syriacam et pa-

ex Hebraico translatam judicavit. cf. ASSEMANI: Bibl. Orient. II. p. 279. — HOTTINGER: dissertationum theol. phil. τετρακτυς. p. 162. — CARPZOV: critica sacra. ed. 2. p. 626. — AMBROSIUS episcopus Mediolan. in hexaemeron 1, 8. (Opp. Lutetiae Paris 1661. I. p. 12): "Syrus, qui vicinus Hebraeo est et sermone consonat, in plerisque et congruit." — De recentioris temporis scriptoribus vide HOTTINGER. l. l. *Idem*: thesaurus philologicus ed. 2. Tig. 1659. p. 262 s. — RICHARD SIMON: histoire critique du V. T. Rotterd. 1685. p. 271. — ASSEMANI: Bibl. Or. I. p. 66. "Syrorum versio Hebraico textui ad amussim consentit. — CARPZOV: l. l. — MICHAELIS: *Abhandlung von der Syrischen Sprache.* 1786. p. 63 s. — EICHHORN: *Einleitung in das A. T.* ed. 4. II. p. 130 ss. — BERTHOLDT: *historische Einleitung etc.* II. p. 594. — DE WETTE: *Lehrbuch der historisch kritischen Einleit. in d. A. T.* ed. 1. §. 64. — LUD. HIRZEL: de Pentateuchi versionis Syriacae, quam Peschito vocant indole. Lips. 1825. p. 1 ss.

1) SEMLER: *Vorbereitungen zur theologischen Hermeneutik.* part. I. p. 382 ss. Reprobavit hanc sententiam DATHE: Psalterium Syriacum Halae 1768. Praef. p. IX ss.

2) RICHARD SIMON. l. l. p. 272. — CARPZOV. l. l. — EICHHORN. l. l. p. 142. — BERTHOLDT. l. l. p. 597. — DE WETTE l. l. p. 87.

raphrasin Chaldaicam nuperrime observavit GESENIUS [1]; hinc, quomodo duplex hic consensus sit explicandus, quaeritur. GABRIEL SIONITA, qui V. T. versionem Syriacam primus typis inprimendam curavit, saepius eam versioni latinae, quae *vulgatae* nomine insignitur, conformasse traditur [2]; diligentius igitur cum versione vulgata comparetur necesse est. Denique, auctorem enim, utrum Judaeus an Christianus fuerit, nil moror, de aetate hujus versionis, quam alii ad Salomonis tempora referunt, alii saeculo post Christum natum secundo tertiove literis comprehensam statuunt [3], et utrum unus an plures versionem Peschito absolverint [4], disceptatur.

In his momentis, praeter magnam, quam arti criticae et exegeticae V. T. inde capere licet utilitatem, omne, ni fallor, disquisitionis de versionis Peschito indole argumentum versatur. Quae cum ita sint, nobis hujus versionis, quantum ad prophetas, vulgo minores dictos, pertinet, indolem indagaturis, ita quidem, ut singulos prophetas singulatim tractemus, primo

1) GESENIUS: *philologisch kritischer Commentar über den Jesaia.* I. p. 83 s. — Fugerat haec, de qua cogitaverat, observatio Cel. J. D. MICHAELEM. cf. *Abhandl. v. d. Syr. Spr.* p. 19.

2) WALTON: Prolegomena. p. 89. — EICHHORN. l. l. p. 152. — BERTHOLDT. l. l. p. 599.

3) HOTTINGER: thesaurus philol. p. 262. DATHE l. l. p. XXII s. — EICHHORN. l. l. p. 126 s. — BERTHOLDT. l. l. p. 594. — DE WETTE l. l. p. 87.

4) EICHHORN. l. l. p. 132 ss. — DATHE l. l. p. XXVI.

de subsidiis et legibus criticis, quibus omnino usuri sumus, erit dicendum. Procedente deinde ad singulos prophetas disquisitione, non solum apparatum criticum, qualem libri typis impressi suppeditant, dabimus, sed etiam ad textum Syriacum emendando restituendum studia conferemus. Porro, interpretem textum Hebraicum sequutum esse, confirmaturi, quomodo munere suo functus sit, exemplis illustrabimus, quo facto, quinam modus sit et ratio affinitatis, Syro cum versionibus Alexandrinorum et Chaldaeorum intercedentis, perscrutabimus. In fine denique disquisitionis de versionis Peschito aetate et nonnullis a re non alienis, ad quae inde concludendo adducimur, dicemus. Quaestionem, utrum unum an plures versio Peschito interpretes habuerit, post institutam tantum omnium codicis sacri librorum comparationem commode solvi posse, non est quod moneamus [1]).

[1]) Celeberrimi Spohn dissertationibus, quae inscribuntur: Collatio versionis Syriacae, quam Peschito vocant, cum fragmentis in commentariis Ephraemi Syri obviis. Spec. II. Wittenb. et Lps. 1785 et 1794. mihi uti non licuisse, magnopere doleo. Idem erit monendum de libris aliquot aliis, quorum tituli in hac dissertatione desiderantur; fore autem, ut hujus rei veniam aequi judices non denegent mihi, Hannoverae procul a majoribus bibliothecis degenti, utique confido; praesertim cum legem mihi praescripserim nullius libri, a me non inspecti, laudandi. Rariores nonnulli majorisque pretii libri e Bibliotheca insigni Gottingensi, huc mihi erant arcessendi, qua in re Viro Celeberrimo Reuss, qui huic Bibliothecae praeest, ob singularem mihi praestitam benevolentiam, me sentio obstrictissimum.

Pars I.

DE SUBSIDIIS, QUIBUS USI SUMUS, CRITICIS.

§. 2.

De textus Syriaci, typis impressi, conditione et codicibus mss.

Veteris Testamenti versionem Syriacam primo typis impressam in lucem edidit Michael le Jay in Bibliis polyglottis, quae prodierunt Lutetiae Parisiorum 1629–1645. Usus autem est Editor, in constituendo versionis Peschito textu, opera Gabrielis Sionitae, Maronitae, qui textum Syriacum vocalium signis instruxit et interpretationem latinam adjecit. Sed versionis Peschito, quo Gabriel Sionita usus est, codex neque omnes V. T. libros continuit, neque, quos continuit, integros exhibuit, sed saepius lacunis distinebatur. Graviter praeterea Waltonus in prolegomenis [1]) Editorem reprehendit, quod multa sibi concessit, quae artis criticae praecepta offenderent, ita ut textus, ab eo constitutus, multis et gravibus vitiis laboraret. Non solum enim id egisse Gabrielem Sionitam, ut versionem latinam, versioni potius *vulgatae*, quam textui Syriaco concinnam redderet, sed etiam codicis lacunas ab eo nunc ex suo ingenio versionis vulgatae ope suppletas, nunc omnino intactas esse relictas, cujus quidem rei

[1]) Biblia Londinensia. I. p. 89. — cf. Michaelis: *Abhandl. von d. S. Spr.* p. 67. — Eichhorn: *Einleitung in d. A. T.* II. p. 152 ss.

Gabrielem nullibi in locis singulis fecisse indicium. Priusquam igitur textus Syriacus editionis Parisiensis in Bibliis polyglottis, quae Londini prodierunt, repeteretur, denuo cum codicibus manuscriptis collatus est, quorum auxilio, quae depravata erant, restituta, lacunae suppletae sunt. Haec Waltonus; attamen ne hic quidem, licet sanioris critices praeceptis ductus, quibusnam in locis textum editionis Parisiensis emendaverit, adnotavit, contentus hoc, ut, se hac in re exemplaribus quibusdam manuscriptis antiquissimis, aliis ex Syrorum codicibus authenticis descriptis usum esse, nihilque ex propriis conjecturis mutasse, affirmaret. Textum Syriacum Bibliorum Parisiensium et Londinensium, ut inter se conferremus, nobis ipsis non contigit, a Celeb. KIRSCH [1]) autem, Gabrielem Sionitam a Waltono plus justo esse vituperatum, edocemur. Kirsch enim, qui textum editionis Parisiensis summa diligentia contulit cum textu Bibliorum Londinensium, *"quae tamen,"* inquit (Praef. p. VIII s.), *"collatio me docuit, summa fide textum ex Parisiensibus Polyglottis in Anglicana transscriptum esse."* Porro (p. XVII.): *"Gabriel Sionita, qui, quamvis in sua versione latina a me minime probetur, sua tamen laude omni ex parte privari non potest — — Gabriel, inquam, Sionita omnem revera dedit operam, ut, quidquid lectionem textus juvaret, in sua editione coacervaret* [2])

[1]) Pentateuchus Syriace. Ex polyglottis Anglicanis summa fide edidit G. GUIL. KIRSCH. Hofae 1787.

[2]) Quod ad versionenem latinam attinet, fortasse veniam eorum impetrabit, qui, Gabrielem Sionitam

Gabrielem Sionitam Waltoni reprehensionem non ab omni parte mereri jam antequam Kirschii liber ad nos perveniret, ex variantium lectionum versionis Syriacae a THORNDICIO [1]) collectarum conditione suspicati sumus, quem nuperrime etiam a Professore Cantabrigensi LEE negligentiae accusatum invenio [2]). Textui versionis Peschito, post Britannorum in eum merita, codicum manuscriptorum ope rectius constituendo nemo adhuc curam et operam impendit, licet in Bibliothecis Parisiensibus et Vaticana, fortasse etiam alibi, plures versonis Syriacae

ecclesiae catholicae, cujus disciplinam professus est, praeceptis commotum versioni vulgatae sese applicuisse, secum reputaverint. Idem fecit Ephraem Syri operum editor PETRUS BENEDETTI, Maronita. cf. Opp. Ephraemi I. praefat. ad lectorem. "*Sedulo curavi, ne quod verbum Syriacum, quod non latino exprimeretur, praetermitterem, quamvis ejus item rei multo nobis major est habita ratio, ut sacro seposito textu, in quo interpretando verbum pro verbo κατάλεξιν reddidi, voces vulgatae editionis retinens ferme ubique, nisi illam deserere Syriacae versionis variantes lectiones cogebant, in caeteris non verba lectori anumerarem sed tanquam appenderem.* — cf. RICHARD SIMON hist. crit. d. V. T. p. 269.

1) Variantes in Syriaca Versione V. T. Lectiones, e codicibus nostris Mss. excerptae ab HERBERTO THORNDICIO. Biblia Polygl. Londin. Tom. VI. — Contulit Thorndicius codices mss. cum textu Syriaco editionis Parisiensis.

2) *Bemerkungen des Prof.* LEE *über die Collation von Handschriften der Syr. Uebersetzung des A. T.* in WINER: *neues kritisches Journal der theol. Lit.* Vol. I. Part. 2. p. 149 ss.

codices nondum collati asserventur. Nuperrime quidem Lee[1]) novae textus Syriaci recognitionis spem nobis fecit, sed nondum, quantum scio, promulgavit. In hac rerum nunc temporis conditione cum neque apparatu critico uberiore gaudeamus, neque nobis codicum manuscriptorum comparandorum facultas fuerit, indolem versionis Peschito indagaturi, usi sumus textu, qui in Bibliis Londinensibus exstat, ratione habita lectionum variantium a Thorndicio collectarum. Excerptae sunt lectiones hae variantes, quod ad prophetas minores spectat, (etenim non omnes, quibus Thorndicius usus est, codices integrum V. T. continent) ex codicibus mss. tribus [2]). I. Usserii, Hiberniae primatis, qui eum magnis sumtibus ex codice Patriarchae Alexandrini transscribendum curaverat; cujus codicis in margine Usserius, quum Parisiis commoraretur, discrepantias quasdam inter hunc et codicem Parisiensem notaverat. II. Eduardi Pocockii, abs quo ex oriente advectus erat. III. *Cantabrigensi*, omnium antiquissimo, quo Erpenius olim usus erat [3]).

§. 3.

De Ephraem Syro.

Quemadmodum fluvii turbulente fluentis limpidos ad fontes, ex quibus aquarum, quas volvit,

[1]) Loco laud.

[2]) cf. Walton: prol. p. 89. — Thorndicius l. l. in admonitione ad Lectorem.

[3]) Memoriae, ut videtur, lapsu refert Walton (l. l.) codicem Cantabrigensem prophetas tantummodo

natura et vis innotescat genuina, nobis quidem ipsis penetrare saepe non licet, quo minus vero ex fontis accolis de ejus conditione certiores fiamus, nihil obstat; ita quoque nobis, versionis Peschito indolem exploraturis, dum ab aditu, non solum ad exemplaria originalia, sed etiam ad codices manuscriptos, quorum ope, quaenam sint genuina quaeque spuria, detegi possent, arcemur, auctoris, a tempore, quo versio Syriaca orta est, non admodum remoti consulendi facultas oblata est. Quantum incrementi et utilitatis critica scripturae sacrae e locis biblicis a scriptoribus ecclesiasticis, quos vulgo ecclesiae patres nuncupant, laudatis perceperit, in manifesto est: non minoris autem momenti, quam patres graeci et latini, in perscrutando bibliorum indole, habendi sunt Syrorum scriptores; quos inter omnes, tam temporis, quo viguit, quam ingenii et doctrinae, quibus excelluit, ratione habita, longe eminet Ephraem [1]).

Constantino M. imperante natus est Ephraem Nisibi [2]), Mesopotamiae urbe, a parentibus dis-

majores continere. — Scriptus est hic codex anno 1480 aerae Graecorum, seu p. Chr. n. 1168. cf. Thorndicius: l. l. addenda p. 49.

[1]) Theodoretus: hist. eccles. 2, 30. ed. Reading p. 104. Ἐφραΐμ ὁ θαυμάσιος, συγγραφῶς δὲ οὗτος ἄριστος παρὰ Σύροις ἐγένετο. cf. 4, 29. p. 166. — Joseph. Simon. Assemani: Bibliotheca Orientalis. vol. 1. p. 24.

[2]) Veteres interpretes plures, inter quos Ephraem (comment. in Genes. 10, 10.) et Hieronymus, Nisibin esse eandem urbem statuunt, quae Genes.

ciplinae Christianae addictis [1]). Jacobus, celeber Nisibis episcopus, juvenem, quem singularis ingenii et egregiae animi indolis perspexerat, ut ad penitius indagandam Christianorum disciplinam studia conferret, impulit, eodemque familiariter usus est [2]). Postea, quum Persae, Sapore duce, urbe Nisibi potirentur, Ephraem Amidam indeque Edessam se contulit, ubi, disciplinam monasticam amplexus, hominum commercio se subtraxit et indefesso studio scripturae sacrae et Graeciae sapientium libris perscrutandis diu noctuque operam dedit [3]). Discendi

13, 10. אַכַּר dicitur. A Graecis *Antiochia ad Mygdonium* nominabatur; Syris recentioribus ܨܘܒܐ audit. cf. Vater: *Commentar z. Pentat.* p. I. p. 124. — Stephan. Evodius Assemani: acta sanctorum martyrum. Romae 1748. p. I. p. 81.

[1]) In vitae parva adumbratione et in actis Ss. Ephraem a parentibus paganis, patre Nisibi sacerdotis munere fungente, ortus perhibetur (Assemani. B. O. I. p. 25 ss.), attamen Ephraem ipse sese a parentibus Christianis natum refert. Assemani l. l. p. 26.

[2]) Assemani l. l. p. 25 et 27. — Jacobum Nicaeam, ut concilio oecumenico interesset, tendentem Ephraem comitatus esse dicitur (l. l. p. 30.); sed an res ita se habeat, dubitare omnino licet.

[3]) Assemani l. l. p. 31. — Sozomenus h. c. 3, 16. ed Reading p. 109. — ibid p. 111. *λέγεται γοῦν τὸ πρὶν ἀκρατῶς ὀργῆς ἔχων, ἀφ' οὗ τὴν μοναστικὴν ἀγωγὴν μετῆλθε, μηδέπω θεαθῆναι παρά τινος ὀργιζόμενος.* — Gregorius Nyssenus de vita S. Patris Ephraem Syri. Opp. Paris 1615. tom. 2. p. 1036. Ephraem ipse in sermonibus exegeticis (Opp. vol. 2. p. 318.) exhortatur juvenes, ut bonarum literarum studiis vitam applicarent his verbis:

desiderio flagrans deinde Aegyptum migrandi consilium cepit, ubi octo annos commoratus esse dicitur [1]). Inde Edessam rediturus, quum Basilii Magni, Cappadociae episcopi, fama longe percrebuisset, Caesaream, Cappadociae urbem iter direxit; quem Basilius comiter, ut solebat, exceptum, honoribus auxit et Diaconum consecravit; neque vero id ab Ephraemo impetrare potuit, ut Caesareae domicilium figeret. Edessam redux factus magna usque ad mortem floruit auctoritate [2]).

"Ne des somnum oculis tuis et palpebris tuis dormitationem; nec enim tibi sapientia dabit otium citra laborem et contentionem; pigros illa non amat nec complectitur inertes, nec accipit luxuriosos, pudicos enim et innocentes diligit." Ejusdem sermonis initio (p. 317.) in laude Graeciae sapientium versatur, Hippocratis, Porphyrii, Socratis, Platonis aliorumque, quos inter primo loco ponit Aristotelem. His non obstrepit, si interdum in eos invehit, qui scripturas sacras nihili facientes Graecorum scriptis plus justo delectentur. Ejusmodi sunt, si pro allegorica, quam tuetur, scripturae sacrae interpretandi ratione e verbis II Regg. 6, 25. hanc elicuit sententiam (Opp. vol. I. p. 536). "Caput asini, quod tam caro pretio distractum hic dicitur, disciplinam designat e nugis philosophorum et mundi sapientium opinionibus haustam;" aut si eos vituperat, qui vanas Graecorum nugas ad multam noctem lectitant Opp. vol. I. p. 276.

1) Assemani l. l. p. 39-44.

2) Assemani l. l. p. 43. — Menologium Armenorum quod inter testimonia de Ephraemo (Opp. vol. 1.) exstat. Tantopere vitae generis, a hominum consuetudine remoti amans fuisse traditur Ephraem vix ut persuaderi potuerit, qui Diaconi munus

Multa variique argumenti scripta, studiorum et ingenii documenta composuit, quorum ea, quae ad nostram cognitionem venerunt, enumeravit Assemani [1]). Tanta autem floruit auctoritate Ephraem apud suos, ut, jam ipso vivente, alii librorum ejus in linguam Graecam translati legerentur, alii post scripturas sacras in ecclesiis publice recitarentur [2]). Syriaca Ephraemi opera, quae in Bibliotheca Vaticana asservantur, typis excusa prodierunt Romae, opera et studio PETRI BENEDETTI et STEPHANI EVODII ASSEMANI [3]) e quibus commentarii in V. T.

susciperet. ASSEMANI l. 1 p. 43. Quum postea episcopus electus esset, mente captum se simulando legatos elusit ASSEMANI l. l. p. 49. — SOZOM. 3, 16. — Quonam anno Ephraem diem supremum obierit, ambigitur, cum alii mortem ejus ad annum p. Chr. n. 372 alii ad annum 378 referant. cf. ASSEMANI l. l. p. 54.

1) Bibl. Or. I. pag. 56-164.

2) HIERONYMUS de scriptoribus ecclesiast. s. v. EPHRAEM. SOZOMENUS hist. eccl. 3, 16. p. 110. — "Legis, Hieronymus inquit, ejus de spiritu sancto Graecum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat; et acumen sublimis ingenii etiam in translatione cognovi." Idem confirmat Sozomenus l. l.

3) Sancti Patris nostri Ephraem Syri opera omnia. — — — Syriacum textum recensuit Petrus Benedictus societatis Jesu, notis vocalibus animavit, latine vertit et Variorum scholiis locupletavit. tom. 1 et 2. Romae 1737 et 1740. reliqui tomi quatuor usque ad annum 1746 prodierunt. (Nescio qui factum sit, ut saepius ad annum 1732 primum Ephraemi operum volumen viri docti retulerint.) — Quum Pontifex maximus *Clemens XI.* magnam

libros nostrum ad finem maximi sunt pretii [1]). In explicandis enim V. T. libris usus est Ephraem versione Syriaca, quae nunc Peschito nomine insignitur [2]). Quamvis autem, quin Ephraem versionem Peschito adhibuerit, dubitari non possit, tamen aliquoties a textu, qui in Bibliis Londinensibus prostat, recedit, nunc ad textum Hebraicum, nunc ad versionem graecam Alexandrinorum propius accedens, cujus utrius-

librorum orientalium, undique collectorum, copiam in bibliothecam Vaticanam congessisset, Petro Benedicto (seu Italice Benedetti, ut ipse nomen suum scribit) Maronitae mandavit, ut Ephraemi Syri opera publici juris faceret. Sed vix tomus tertius medium attigerat, quum Benedictus morte opprimeretur. Cura operis inchoati ad finem perducendi demandata est deinde Stephano Evodio Assemani, qui volumina tria ultima et dimidium addidit; ita ut Ephraemi opera in sex tomos distributa prodirent. cf. Ephraemi opp. vol. 3. praefatio. — Assemani: acta sanctorum martyrum. Romae 1748. vol. I. praef. p. 34 s.

[1]) Ephraemi in V. T. libros commentarii, qui in voluminibus duobus primis ejus operam leguntur, recensentur quoque in Assemani: Bibl. Or. I. p. 63 - 80.

[2]) Petrus Benedictus. Ephraemi Opp. vol. I. praefatio. — Wahl: *Vergleichung der syrischen kirchlichen Uebersetzung des Propheten Amos, nach der Londner Ausgabe, mit Ephraem des Syrers syrischem Texte*; in libro cui titulus: *Magazin für alte, besonders morgenländische und biblische Literatur. Zweite Lieferung.* Cassel 1789. p. 80. — Eichhorn: *Einl. in d. A. T.* pars II. p. 130. 137. 446. Gesenius: *Commentar über den Jesaia* I. p. 116.

que in commentariis etiam passim mentionem injectam videmus. Quaeritur itaque, utrum Ephraem ipse hujus lectionis diversitatis auctor fuerit, an eam in codice, quo usus est, jam invenerit? Quam quidem rem exploraturi, utrum Ephraem linguae tam Hebraicae quam Graecae peritus fuerit, dispiciamus oportet.

§. 4.

Linguae Hebraicae num cognitionem habuerit Ephraem?

Quum Ephraem in commentariis, quos scripsit, textum Hebraeum aliquoties laudaverit et voces originis Hebraicae explicuerit, fuerunt, qui eundem linguae Hebraicae gnarum fuisse statuerunt. "In Mesopotamia nimirum scribebat Ephraem," monet Benedetti [1]), "quo migraverant Judaei bene multi post generale gentis excidium, ob loci sermonisque affinitatem, atque Ephraemi aetate in eam jam excreverant multitudinem, ut tertiam provinciae partem ab illis occupatam fuisse scribat Josephus, Ephraemo multo antiquior; sed, et celeberrima ibidem Judaeos habuisse gymnasia, et excolendis literis plurimum otii tribuisse, passim docent dictis et factis, qui ex illis academiis prodiere, Ephraemo suppares Hebraeorum doctores apud Bartholoccium in sua Bibliotheca Rabbinica, et eodem Ephraemo posteriores magni apud suos nominis Babylonici Thalmudistae. Quare ex ea cum Judaeis consuetudine, et frequentibus, ut fit, de religione concertationibus factum conjicio, ut

[1]) Ephraem. Opp. I. Praefatio ad lectorem.

S. Doctor Hebraicam linguam didicerit." Hujus vestigia premens Wahl usque eo processit, ut contenderet: Ephraemum in explicandis V. T. libris textum Hebraicum cum versione Peschisto comparasse [1]). Quum haec sententia magna veri specie sese commendet, et in recte exploranda versionis Peschito indole haud parvi sit ponderis, quibus nitatur argumentis, examinemus necesse est.

Circumspicienti indicia, ex quibus, utrum Ephraem linguae Hebraicae scientiam habuerit nec ne, appareat, temporis, quo singulos in V. T. libros commentarios composuit Ephraem, ratio erit habenda; fieri enim potuit, ut Ephraem seriore demum tempore ad linguae Hebraicae studia se applicaret. Quo difficilior exploratu autem ordo est, in quo Ephraemus hos commentarios conscripsit, tanto majoris momenti nostrum ad finem sunt, quae in initio commentarii in genesin literis mandavit [2]): se hunc in genesin commentarium aetate jam provectiorem conscripsisse, eo consilio, ut amicorum precibus obtemperaturus, quae ipse de hoc libro variis in scriptis passim disputavisset, colligeret atque componeret. Jam ergo inquiramus, num hoc

[1]) Wahl: l. l. p. 81. "*Ephraem verglich bei seinen Erklärungen gröstentheils das ebräische Original.*" Sententiam, Ephraemum linguae Hebraicae peritum fuisse, tuentur porro Assemani (Biblioth. Or. I. p. 64 et 71), qui, ut eam firmaret, provocat ad Ephraemi explicationem loci. Genes. 1, 1. quae in catena occurrit, de quo loco infra dicemus. — Eichhorn l. l. p. 135. 446 s.

[2]) Opp. vol. I. p. 1.

in libro Ephraem linguae Hebraicae peritum se probaverit? — Verba Hebraei Genes. 1, 1. בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ in versione Peschito in hunc modum versa, seu potius, verbis retentis literis Syriacis expressa leguntur: ܒܪܫܝܬ ܒܪܐ ܐܠܗܐ ܝܬ ܫܡܝܐ ܘܝܬ ܐܪܥܐ Hebraicum igitur את in ܝܬ mutavit interpres. Huic voci, quaenam sit hoc loco ejus vera vis ignorans, significationem Syriaci ܝܬ (ܝܬܐ = יֵשׁ) *essentia, natura* vindicat Ephraem, hanc interpretationem subnectens [1]): ܗܢܘ ܕܝܢ ܩܢܘܡܗ ܕܫܡܝܐ ܘܩܢܘܡܗ ܕܐܪܥܐ i. e. *substantiam coeli et substantiam terrae;* quam ad interpretationem auctor in sequentibus saepius distincte innuit [2]).

Aliud exemplum Genes. 4, 1. offert, ubi pro Hebraico אֶת־יְהוָה Peschito habet ܠܡܪܝܐ, quod Ephraem ita interpretatus est, ac si in Hebraeo legeretur ליהוה [3]). — Amos II, 6. אביון Pesch.

[1]) Opp. I. p. 6.

[2]) In catena in genesin Opp. I. p. 116. haec explicatio repetitur, sed alia additur, quae recte monet particulae ܝܬ, hoc loco pro Hebraico את positae, eandem esse vim, quam Syriaci ܠ (Lomad). Qua quidem explicatione fretus Assemani (Bibl. Or. I. p. 64.) Ephraemo linguae Hebraicae cognitionem vindicavit; sed hanc catenae interpretationem non ab Ephraemo esse profectam, infra uberius docebimus.

[3]) Ad hunc locum jam a Celeb. Michaelis notatum invenio: *"Dis ist zwar unrichtig, denn* ܠܡܪܝܐ

ܠܡܣܟܢܐ Ephr. ܠܡܣܟܢܐ numero plurali, quam punctationem etiam, quae apud Ephraemum sequuntur, flagitant. I Sam. 14, 4. verba ושם האחד בוצץ ושם חאחד סנה Peschito transtulit ܫܡܗ ܕܚܕ ܒܘܙܘܙ ܘܫܡܗ ܕܐܚܪܢܐ ܣܝܐ *alterius nomen Bozuz alterius Sio.* Scribendi vitium, cujus generis plura exempla collegit Hirzel [1]), latet in voce ܣܝܐ pro ܣܢܐ: attamen haec nomina interpretatus est Ephraem in hunc modum: ܒܘܙܘܙ ܫܡܗ ܐܘܟܝܠ ܢܚܝܦܐ ܐܚܪܢܐ ܫܡܗ ܣܝܐ ܗܘܐ ܟܢܫܐ *nominis Bozuz significatio est macer, nominis alterius Sio, acervus.* Utraque ex sermone Syriaco petita est explicatio, neque animadvertit Ephraem, Hebraeum habere סנה. — ܒܙܝܙܐ *Castello duce* est *imbecillus, macer*; ܣܝܐ vero descendit a ܣܝܥ *congregavit*, unde Chaldaicum סיעא *congregatio, acervus.* Plura procul dubio hujusmodi loca reperiri poterunt, quibus multa quoque illa loca adnumeranda, in quibus versio Peschito, relicto textu Hebraico, LXX sequitur. Quamnam autem, judices, de eo sententiam feretis, qui in linguae Hebraicae cognitione ne usque eo quidem processit, ut quaenam sit vis particulae את in comperto habuerit? Utrum ejusmodi hominem ullam an nullam linguae Hebraicae habere cognitionem judicabitis? Sed

mufs um des Hebräischem willen der Accusativus seyn." *Abhandl. v. d. Syr. Spr.* p. 97.

1) de Pentateuchi versionis Peschito indole. p. 97. — Kirsch l. l. praef. p. xiii.

fortasse erunt, qui, Ephraemum non semper, sed interdum tantum, textum Hebraicum inspexisse, moneant; loca vero laudata, nullam quum offensionis ansam praebuerint, nostrum non inspexisse; hinc factum esse, ut Syriacae versioni sententiam Hebraeo non convenientem tribuerit. Rem ita *evenire potuisse* concedimus, *evenisse* negamus. Argumentum in promtu est. Hos. 7, 3. Hebraicum מלך Peschito reddidit ܡܠܟܐ quod Ephraem in hunc modum explicat[1]:

ܚܕܝܘ ܠܡܠܟܐ ܗܘ ܠܝܘܪܒܥܡ ܡܠܟܐ — — ܐܘ ܚܕܝܘ
ܠܡܠܟܐ ܩܕܡܝܐ ܕܡܝܬܘ ܠܗܘܢ — — ܐܘ ܡܚܕܝܢܘܗ
ܡܫܪܝܢ ܠܡܠܟܘܬܐ ܡܬܪܐ ܕܩܝܡܝܢ ܗܘܘ.

laetificarunt ܡܠܟܐ (*regem*) i. e *Jeroboam regem — aut laetificarunt* ܡܠܟܐ (*reges*) i. e. *reges priores, jam mortuos — aut laetificarunt reges, qui tunc in imperio floruerunt.* Ex his verbis utique apparet, dubium haesisse Ephraemum, utrum ܡܠܟܐ numero singulari an plurali sit legendum. Hanc ambiguitatem non admittit textus Hebraicus; cur hunc non inspexit, si ipsi, ut vulgo affirmant, ad manus erat? cur triplicem potius excogitavit explicationem?

Quae cum ita sint, Ephraemum non habuisse ullam, sed nullam plane linguae Hebraicae cognitionem, statuimus.

Sed audio adversarios clamitantes atque vociferantes, me judicis iniqui egisse partes; sibi

[1]) Opp. vol. II. p. 241.

enim esse testes satis multos, Ephraemum linguam Hebraicam calluisse, affirmantes; me vero testibus non admissis, et adversariis causam non dicentibus, sententiam tulisse, insontes damnasse! Agitedum, vos testes, adeste coram tribunali, ut etiam vos audiamus vestraque testimonia examinemus!

§. 5.

Testes, Ephraemum linguae Hebraicae gnarum fuisse dicentes, interrogantur.

Duplicis omnino generis hos, Ephraemum linguae Hebraicae gnarum fuisse, asseverantes testes inveni; aliis se Ephraemum textum Hebraeum laudantes audivisse, aliis sibi eundem verba originis Hebraicae explicuisse dicentibus; itaque in duas partes, seorsum testimonia dicentes, testium catervam dividimus.

I.

Aliquoties Ephraemi in commentariis textus Hebraici distinctis verbis mentionem fieri videmus, quos quidem singulos testes deinceps ut audiamus oportet.

1) Genes. 24, 63. Catena in Genes. Opp. I. p. 173).
ܘܢܦܩ ܐܝܣܚܩ ܠܡܬܗܠܟܘ ܒܚܩܠ ܪܡܫܐ ܗܢܘ ܕܝܢ
ܠܡܨܠܝܘ. ܚܠܦ ܓܝܪ ܗܘ ܕܠܡܬܗܠܟܘ ܠܡܨܠܝܘ
ܐܚܠܦ ܥܒܪܝܐ. *et egressus erat Isaac ad deambulandum ad vesperam* i. e. *ad orandum: pro* ܠܡܬܗܠܟܘ *enim lectionem* ܠܡܨܠܝܘ *tuetur Hebraeus.*

2) Genes. 36, 24. (Catena in Genes. Opp. I. p. 184).
ܚܠܦ ܕܐܫܟܚ ܡܝܐ ܒܡܕܒܪܐ — ܥܒܪܝܐ ܐܡܪ ܐܫܟܚ ܓܢܒܪܐ ܒܡܕܒܪܐ. *Pro, qui invenit aquas in deserto — Hebraeus offert, invenit fortes in deserto.*

3) Genes. 49, 20. (Comment. in Gen. Opp. I. p. 110).
ܕܐܫܝܪ ܛܒܐ . ܐܪܥܗ . ܗܝ ܕܐܡܪ ܡܘܫܐ ܕܢܨܒܘܥ ܒܡܫܚܐ ܪܓܠܗ. *quod attinet ad Aser, terra ejus bona; Moses habet: tinget oleo pedem suum.*

4) Deuter. 9, 25. (Comment. Opp. I. p. 273).
ܐܝܟܐ ܕܝܢ ܕܐܡܪ . ܕܨܠܝܬ ܕܨܡܬ ܟܬܝܒ ܒܥܒܪܝܐ *ubi autem legitur* ܕܨܠܝܬ (*oravi*), *scribitur in Hebraico* ܕܨܡܬ (*jejunavi*).

5) Josua 13, 6. (Comment. Opp. I. p. 303).
ܕܡܫܩܦܬ ܗܘܐ ܡܣܪܦܘܬ ܡܝܡ ܡܬܡܠܠܐ ܡܫܩܦܬ ܒܠܫܢܐ ܥܒܪܝܐ . ܐܝܟ ܕܝܢ ܟܢܫܐ ܕܡܝܐ . ܗܘ ܕܝܢ ܐܓܡܐ i. e. ܕܡܫܩܦܬ *respondet huic* ܡܣܪܦܘܬ ܡܝܡ, *quemadmodum in lingua Hebraea pro* ܡܫܩܦܬ *dicitur; significat autem illud collectionem aquarum* i. e. *stagnum.*

6) Jos. 15, 28. (ibid. p. 305).
ܟܠ ܩܪ . ܡܦܘܫܗ ܗܘܐ . ܘܐܬܪܘܗ ܡܦܘܫܗ ܒܒܪܙܘܬܠ
ܡܢ ܗܘ ܗܘܝܘ ܕܡܫܡܥ ܠܡܘܫܐ ܐܝܟ ܕܐܠܘܗܝ ܗܘ
ܒܠܝܠ ܡܫܠ ܠܥܒܪܝܐ ܕܩܘܪܝܗ ܘܫܡܗ ܘܐܣܒܪܗ ܕܡܫܠ

ܕܡܬܝܕܥܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܐܢܫܝܢ ܓܝܪ ܕܒܒܐܪܫܒܥ ܦܠܚܝܢ
Sed in his verbis procul dubio vitium latet. Lege: ܘܒܒܐܪܫܒܥ ܘܒܩܘܪܝܬܗ̇ . ܗܢܘ ܒܩܘܪܝܗ̇ ܘܒܦܪܙܝܗ̇ — etc: *Berseba* et ܒܩܘܪܝܬܗ̇ i. e. *vici et villae ejus. Quia nesciebant, qui, licet perverse, interpretati sunt, quaenam sit vis vocabuli* ܒܩܘܪܝܬܗ̇, *hoc retinuerunt, urbis cujusdam nomen esse opinantes; significantur autem illi, qui in villis habitant.*

7) Judic. 5, 29. (Comment. Opp. I. p. 316).
ܚܟܡ ܡܛܥܝܢܬܗ ܕܟܬܒܝܢ ܠܗ. ܟܬܒܢܐ ܐܡܪ ܚܟܝܡܬܐ ܕܪ̈ܘܪܒܢܬܐ ܐܡܗܬܗ ܚܟܝ̈ܡܢ *pro, sapientissima virginum ejus Hebraeus habet: sapientissimae pellices responderunt ei haec.*

8) I Samuel. 3, 11. (Comment. Opp. I. p. 340.)
ܟܠܐ ܙܓܓܐ ܩܠܐ ܕܢܩܫܝܢ ܙܓ̈ܓܐ ܕܐܦ ܥܒܪܝܐ ܡܚܘܐ
Innuit sonum tinnientem, quem dant tintinnabula; ad quod et Hebraeus aperte tendit.

9) I Sam. 21, 8. (ibid. p. 376).
ܘܬܡܢ ܓܒܪܐ ܡܢ ܥܒܕ̈ܘܗܝ ܕܫܐܘܠ ܒܝܘܡܐ ܗܘ ܟܠܐ
ܗܘܐ ܩܕܡ ܡܪܝܐ ܘܫܡܗ ܕܘܐܓ ܐܕܘܡܝܐ: ܪܒ ܪܥܘܬܐ
ܕܥܒܕ̈ܐ ܕܫܐܘܠ ܗܘ ܠܝ ܠܡ ܕܥܒܪ̈ܝܐ
ܘܡܦܪܫܢܘܬܐ ܕܡܠܬܐ ܗܕܐ ܕܡܦܪܫ ܐܢܫܝܢ
ܕܒܝܬ ܟܠܝܐ ܐܘ ܒܟܢܫܐ. ܘܫܡܗ ܠܗ ܡܢ ܐܪܥܐ
ܠܚܢܢܐ ܐܝܟ ܕܗܘ ܢܣܒܠ ܠܟܠܝܢܗ

ܕܡܫܟܢܐ ܘܕܥܨܪܬܐ . ܕܗܘܐ ܠܝ ܡܫܠܐ ܡܛܠ ܗܘ ܕܥܨܝܪܘ
ܡܫܟܢܐ ܥܨܝܪܐ ܩܕܡ ܢܒܚܘܗܝ ܘܐܬܚܒܝܘ . ܗܘ
ܡܬܛܫܐ ܟܝܬ ܡܟܝܠ ܥܨܝܪ ܗܘ ܗܘ ܕܥܨܝܪܐ ܐܘ
ܕܡܛܫܐ ܗܘܐ ܠܐ ܕܝܢ ܡܫܠܐ ܗܘ ܐܢ ܒܨܒܝܢܗ ܐܘ
ܠܐ ܒܨܒܝܢܗ . ܐܣܝܡܝܢܢ ܕܝܢ ܕܡܫܬܐܠ ܕܚܛܗܐ ܗܘܐ
ܥܠܬܐ ܗܘܐ ܠܡܩܛܠܗ ܠܟܗܢܐ ܕܢܘܒ ܢܦܫܬܐ *)

Erat autem ibi vir de servis Saul illo die, qui absconditus erat coram domino, ét nomen ejus Doeg, Idumaeus. Vocabulum Hebraicum ܥܨܝܪ *commune nobis est cum Hebraeis, et proprie adhibetur de actu eorum, qui calcant oleas vel uvas. Deinde, producta a specie ad genus significatione, usurpatur de cujusvis generis vi et pressione. Doeg igitur in tabernaculo se abdidit. Ergo vocabulum* ܥܨܝܪ *idem significat, quod* ܥܨܝܪܐ, ܡܛܫܐ ܗܘܐ *(suppressus, absconditus fuit); utrum consilio an non consilio, nihil interest. Ponamus autem illum peccati*

*) Cum hisce quadrat Ephraemi interpretatio vocis Hebraicae בעצרתיכם quae, a Peschito Amos 5, 21. retenta: ܒܥܨܪܬܟܘܢ in commentario in hunc modum ab Ephr. explicatur: ܗܘ ܚܡܪܐ ܕܢܩܘܣܝܟܘܢ i. e. *vinum libationum vestrarum.* Inde liquet, Ephraemi ex sententia ܥܨܪܐ significare: *expressio, expressum, succus,* neque vero *immolatio,* neque *torcular*; unde Castelli lexicon et Ephraemi interpretem emendare licet.

expiandi causa se celasse, ut se purgaret legitimo sacrificio.

10) I Sam. 24, 4. (ibid. p. 380).
ܥܒܪܝܐ ܕܢܟܣܐ ܪ̈ܓܠܘܗܝ ܗܘ ܕܡܦܩܢܢ ܐܡܪ ܕܕܡܟ
ܬܡܢ *Hebraeus: ut tegeret pedes suos; nostra autem versio habet: et dormivit ibidem.*

11) II Sam. 19, 36. (ibid. p. 423).
ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܠܡܫܡܥ ܩܠܐ ܡܪ̈ܘܬܐ ܘܡܪ̈ܬܐ. ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ
ܐܡܪ ܩܠܐ ܙ̈ܡܪܐ ܘܙܡܪ̈ܬܐ *non possum audire vocem dominorum et dominarum; Hebraeus vero habet: vocem cantorum et cantatricum.*

12) II Regg. 8, 10. (ibid. p. 559).
ܐܡܪ ܠܗ ܡܬܐܣܐ ܬܐܣܐ. ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܬܘܒ ܣܘܟܠܐ ܐܚܪܢܐ
ܘܗܦܟܐ ܡܝܬܐ ܗܘ. ܐܡܪ ܠܐ ܡܬܐܣܐ ܬܐܣܐ. *dixit ei: sanaberis. Hebraeus iterum aliam et contrariam sententiam offert: dic: non sanaberis.*

13) Job. 26, 13. (Comment. Opp. II. p. 11).
ܘܩܛܠܬ ܐܝܕܗ ܠܚܘܝܐ ܥܪܘܩܐ ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ
ܘܥܒܕܬ ܐܝܕܗ ܠܚܘܝܐ ܥܩܡܬܐ *et interfecit manus ejus serpentem fugientem; Hebraeus vero dicit: et fecit manus ejus serpentem tortuosum.*

14) Jes. 17, 9. (Comment. Opp. II. p. 48).
ܐܝܟ ܓ̈ܘܒܐ ܕܚܘܪܫ ܘܐܡܘܪ̈ܝ ـــــ ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܐܝܟ ܓ̈ܘܒܐ
ܕܚܘܪܫܐ ܘܕܐܡܘܪ̈ܝ *Quemadmodum cisternae Hores et*

Amir. — Hebraeus autem habet: quemadmodum cisternae in silva et Amir.

15) Ezech. 7, 17. (Comment. Opp. II. p. 172).
ܘܟܠܗܘܢ ܒܘܪ̈ܟܐ ܢܪܕܢ ܡܝܐ ـ ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܘܟܠܗܘܢ ܟܪ̈ܥܬܐ ܢܬܛܢ̈ܦܢ ܒܪ̈ܛܝܒܘܬܐ. *et omnia genua fundent aquas — Hebraeus autem habet: et omnia femora polluentur humore.*

16) Amos. 6, 1. (Comment. Opp. II. p. 263).
ܠܒ̈ܙܘܩܝ ܠܪ̈ܫܐ ܕܥܡ̈ܡܐ ܘܟܢܫܘ ܠܗܘܢ ܒܢ̈ܝ ܐܝܣܪܝܠ. ܝܘܢܝܐ ܚܕ ܐܡܪ. ܩܛܦܘ ܪ̈ܫܝܬܐ ܕܥܡ̈ܡܐ. ܥܒܪܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܩܪܘ ܢܦܫܗܘܢ ܠܪ̈ܫܐ ܕܥܡ̈ܡܐ. ܘܠܐ ܠܪ̈ܫܐ ܕܥܡ̈ܡܗܘܢ *Dissipantibus principes populorum, et deportaverunt sibi filios Israel. Graecus quidam habet: vindemiarunt primitias gentium; Hebraeus: designant semet ipsos capita gentium; gentium, nec capita populi sui.*

17) Jon. 3, 4 s. (Assemani: Bibl. Or. I. p. 70).
ܘܫܪܝ ܝܘܢܢ ܠܡܥܠ ܠܢܝܢܘܐ ܡܗܠܟܐ ܕܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ ܘܐܟܪܙ ܘܐܡܪ: ܥܕܡܐ ܠܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ ܢܝܢܘܐ ܡܬܗܦܟܐ. ܫܒܥܝܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪ. ܕܥܕܡܐ ܠܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ ܢܝܢܘܐ ܡܬܗܦܟܐ. ܘܣܘܪ̈ܝܝܐ ܐܝܟ ܥܒܪ̈ܝܐ. ܗܘ ܓܝܪ ܒܠܫܢ ܒܟܬܒܐ ܕܫܪܝ ܝܘܢܢ ܠܡܥܠ ܠܢܝܢܘܐ ܡܗܠܟܬܐ ܝܘܡܬܐ ܬܠܬܐ. *et coepit Jonas introire in Niniven itinere trium dierum, et praedicavit et dixit:*

adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur. In Graeco legitur: adhuc tres dies et Ninive subvertetur. Utrumque autem verum est. Nam in codice Hebraeo scriptum est: coepit Jonas introire in civitatem Niniven diebus quadraginta.

II.

Secundo loco ponimus ea Ephraemi commentariorum loca, in quibus verba Hebraica, ab versionis Syriacae auctore retenta, explicantur.

18) Catena in Genes. (Opp. I. p. 174).
ܡܘܡܬܐ ܕܝܢ ܒܠܫܢܐ ܥܒܪܝܐ ܫܒܥ ܡܬܐܡܪܐ *jusjurandum in lingua Hebraica* ܫܒܥ *dicitur.*

19) Genes. 49, 23. (Opp. I. p. 110).
ܡܪܝ ܦܠܓܘܬܐ. ܘܐܦ ܒܥܠܝ ܦܠܓܘܬܐ ܕܓܝܣܐ ܗܘ ܕܝܢ ܗܘ *domini turmarum, pro quo etiam domini divisionis scribi potest.*

20) Judices. Inscriptio libri שופטים Syr. ܫܦܛܐ. (Commentar. in Judic. libr. Opp. II. p. 308.)
ܐܝܟ ܠܡܦܪܫ ܕܗܢܐ ܣܦܪܐ ܕܫܦܛܐ ܗܪܟܐ ܠܘܬ ܥܒܪܝܐ
ܒܡܫܡܪܢܘܬܐ ܕܫܪܒܬܐ. ܡܛܠ ܕܐܫܬܪܝ ܕܗܘ ܕܝܢ ܗܘ
ܐܬܠܗܘܢ ܗܘ ܕܫܒܛܐ ܠܒܢܝ̈ ܗܘܘ ܕܫܪܒܬܐ.
ܘܗܘ ܕܫܦܝܛܘܬ ܕܐܬܠܗܘܢ ܕܕܝܢܐ. ܕܝܢ ܗܘ ܕܫܪܒܬܐ
ܒܫܡܥܐ ܕܝܠܗ ܕܝܢ. ܗܘܝܐ ܫܦܝܛܐ ܕܝܠܗ ܘܟܝܢܐ
ܗܘܝܐ ܒܫܡܥܐ ܐܦ ܒܡܫܡܥܐ ܕܝܠܗ ܘܠܟܠ ܕܝܢ ܐܬܘܬܐ.
ܘܫܦܝܛ ܗܘܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܕܫܦܛܐ ܐܘܪܝܢ ܫܦܛܐ.

Animadvertendum, libri titulum ܕܫܒܛܐ: *multos fefellisse, opinantes contineri hoc in libro duodecim tribuum* i. e. *populi Judaici historiam; sed hic liber inscribitur* ܕܫܦ̈ܛܐ: i. e. *judicum. Quodsi enim titulus esset: liber nationis, scribendus fuisset litera Beth, inscriptio autem genuina judicum litera Phe scribitur, haud vero Beth. Quae cum ita sint, oportet scribatur* ܕܫܦܛܐ *seu* ܕܫܦ̈ܛܐ

21) I Sam. 23, 25. 28. (Comment. Opp. I. p. 379).
ܡܠܬܐ ܗܕܐ ܣܠܥܘܢ ܥܒܪܝܐ ܗܝ ܘܗܘ ܟܐܦܐ
Vocabulum ܣܠܥܘܢ *Hebraicum est et significat rupes.*

22) I Regg. 7, 21. (Comm. Opp. I. p. 460).
ܝܟܝܢ: *Jakin* i. e. *Nakin.* ܗܢܘ ܢܟܝܢ
ܒܥܙ: i. e. בעז *id est in forti seu in fortitudine.* ܗܢܘ ܒܥܫܢܐ ܘܒܥܫܢܘܬܐ

23) I Regg. 18, 44. (Comm. Opp, I. p. 498).
ܡܠܬܐ ܕܝܢ ܥܒܪܝܬܐ ܗܝ ܕܝܡܐ ܐܡܪ ܡܦܩܢܘܬܐ ܐܘ
ܡܥܪܒܐ ܥܪܘܒܬܗ ܗܘ: *Vocabulum autem Hebraicum, quod interpres mare vertit, verti etiam potest occasus.*

24) II Regg. 3, 4. (Comment. Opp. I. p. 528).
ܢܩܕܐ - ܕܡܪܥܝܐ ܐܡܪ ܒܠܫܢܐ ܥܒܪܝܐ ܗܘ ܕܡܪܐ ܥܢܐ
ܢܩܕܐ: *Vox* ܢܩܕܐ, *quae hic scripta occurrit, nomen Hebraicae est originis et explicanda: dominus gregum.* ܗܘ ܘܬܪܓܡܗ ܡܪܐ ܥܢܐ

25) Job. 41, 13. (Opp. II. p. 18).
ܢܦܫܗ ܓܘܡܪ̈ܝܢ ܡܠܗܒܐ. ܗܕܐ ܐܝܟ ܡܢ ܩܛܠܐ ܕܟܪ̈ܝܬܐ ܐܡܪܗ ܕܡܠܦܢܘܬܐ ܠܡܠܗܒܘ ܘܠܢܦܚܝܢ ܘܠܓܘܡܪ̈ܐ. : *halitus ejus prunas* ܠܡܠܗܒܢ. *Haec enim vox est Hebraica, vertenda* ܠܡܠܗܒܘ (*accendit*) etc.

26) Daniel 8, 2. (Comment. Opp. II. p. 217).
ܐܘܒܠ. ܐܘܠܝ ܗܘ ܥܠ ܬܪܥܐ ܕܡܝܐ ܘܐܚܪ̈ܢܐ ܐܡܪܝܢ ܐܘܒܠ ܐܘܠܝ ܣ : ܐܣܛܘܢܐ i. e. *ad portam aquarum, alii interpretantur columna.*

27) Joel 3, 2. (Comment. Opp. II.)
ܝܗܘܫܦܛ : ܕܡܬܦܫܩ ܐܠܗܐ ܕܕܝܢܐ *Josaphat, quod interpretare: Deus judicii.*

§. 6.

Testes, e catena in genesin in jus rapti, fallaciae convincuntur.

Jam testibus, quoscunque tandem, Ephraemum linguae Hebraicae haud ignarum fuisse, comprobaturi citaveratis, ea, qua decet, animi attentione aurem praebuimus; attamen in tanta testium multitudine tantaque eorum partium, quas agunt, fiducia, ne dicam confidentia, plura sunt, quae nobis suspicionem moveant; judicis autem probi est, testium testimonia non solum audire, sed etiam examinare, vera a falsis secernere. Jamjam nobis, aequi judicis partes secuturis, primo testimonia, ex catena in genesin repetita, suspectae omnino sunt fidei.

Ephraemi inter opera [1]) recepit editor PETRUS BENEDETTI catenam Syriacam in genesin, quae inscribitur: *Sancti patris nostri Ephraem Syri et Jacobi episcopi Edesseni interpretationum in genesin collectanea. Excerpta ex Catena Syriaca Severi Monachi Edesseni* [2]).

Omnino catenas in exercenda arte critica caute adhibendas esse, inter omnes, hac in re versatos, constat [3]). Saepe enim factum est, ut interpretis nomen scribarum negligentia aut omitteretur, aut falsum apponeretur; interdum quoque sine nomine auctoris inserta interpretatio, deinde auctori praecedentis vindicata est. In hac catenarum conditione, nisi firmis rationibus, esse revera interpretationem aliquam ab eo interprete, cui in catenis tribuitur, profectam, evinci potest, auctorum nominibus, quae in catenis laudantur, fides omnino erit abroganda.

Haec, quae de catenis nunc omnino disputavimus, etiam ad catenam nostram in genesin pertinere, nemo non intelligit. Quae igitur fides habenda est testimoniis ex hac sola petitis? Consentientes nobis hac in re invenimus Ephraemi operum editorem PETRUM BENEDETTI [4]) et viros Celeberrimos J. D. MICHAE-

1) Vol. I. p. 116-193.

2) SEVERUS hanc absolvit catenam a. 861. ASSEMANI: Bibl. Or. I. p. 63.

3) cf. EICHHORN: *Einleitung in das N. T.* p. v. 1827. p. 133 ss. et quos ibi laudatos reperies libros.

4) Ephr. Opp. I. Praefatio ad lectorem: "*eam de spiritu sancto interpretationem existimo Jacobo*

LIS [1]), KIRSCH [2]) et SPOHN [3]); nihilo minus fuerunt, qui hanc de catena nostra sententiam a quibusdam propositam quidem, sed non probatam, contenderent [4]). Quae quum ita sint, novis aliquot argumentis hanc sententiam firmare lubet.

Jam supra (§. 5.) Ephraemum verba GEN. 1, 1. perverse interpretantem vidimus. Repeti-

Edesseno esse restituendam, esto hujus nomen vel a Severo appositum non fuerit, vel ejus loco Ephraemi nomen suppositum. Quod vitium, in ejusmodi catenis frequentissimum Viri docti annotarunt."

1) Commentationes edit. 2. Bremae 1774. p. 172. "*Accidit enim nonnunquam, ut Jacobi sententia Ephraemo, Ephraemi Jacobo, errore librariorum, catenam describentium, tribueretur.*"

2) Pentateuchus Syriace. Praefatio p. XXI - XXIV. ubi de nostra catena haec leguntur p. XXII. "*ob haec collectanea cautione opus est et hac quidem, ne lectionibus in hisce Excerptis occurrentibus tantam lector auctoritatem tribuat, quantam praecedenti Ephraemi ipsius Commentario; primum quia usque ad Severi tempora, qui suam collectionem anno Chr. 861 absolvit, multae mutationes in Ephraemi scholiis a librariis fieri potuerunt et revera factae sunt, deinde vero, quia Notae marginales, quae Scholia modo Ephraemo modo Jacobo Edesseno vindicant, nulla aut tenui auctoritate sunt,*" quod exemplis probatur. cf. EJUSDEM: Chrestomathia Syriaca: Hofae 1789. p. 180.

3) de ratione textus biblici p. 41.

4) EICHHORN: *Einl. in das A. T.* I. p. 231.

tur haec ejus explicatio in Catena (p. 116.) [1]): ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܪܫܝܬܐ ܕܒܪܝܬܐ ܗܕܐ ܕܡܬܚܙܝܢܝܬܐ ܒܪܐ ܘܩܝܡ ܐܠܗܐ: ܐܘܣܝܗ ܕܫܡܝܐ ܘܐܘܣܝܗ ܕܐܪܥܐ. *hoc est autem; in principio creationis hujus rerum visibilium creavit et constituit deus substantiam coeli et substantiam terrae.* Quibus verbis statim additur: ܗܕܐ ܒܝܬ ܡܠܐ ܡܬܪܡܝܬ ܫܡܝܐ ܠܒܪܝܬܐ ܐܝܟܘܬ ܕܐܝܟܘܬ ܫܘܬܦܘܬܐ ܠܐ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܠܫܡܝܐ ܘܠܐܪܥܐ: ܠܗ ܕܝܢ ܠܐ ܐܠܐ ܐܬ. *Inserta haec vox particulae seu articuli vioem apud Hebraeos gerit; eandem habet vim, quam Syrorum praefixum* L o m a d; *vertenda igitur verba haec: coelum et terram; non enim* ܠܐ *sed* ܐܬ *legendum est.* Jam ex vobis, lectores, quaero: num utramque hujus loci explicationem ab Ephraemo profectam, an ultimam a seriore manu additam statuatis?

In commentario in genesin 1, 2. porro legitur (p. 6): ܐܪܥܐ ܐܝܬܝܗ ܗܘܬ ܬܘܗ ܘܒܘܗ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܚܪܝܒܐ ܗܘܬ ܘܣܪܝܩܐ; *terra erat tuh vabuh*; i. e. *autem deserta et vacua.* Sed in catena (p. 166) observatur: ܐܪܥܐ ܐܝܬܝܗ ܗܘܬ ܬܘܗ ܘܒܘܗ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܣܪܝܩܐ ܘܚܪܝܒܐ. ܒܨܚܚܐ ܕܝܢ ܐܚܪܢܐ ܐܡܪ. ܐܪܥܐ ܐܝܬܝܗ ܗܘܬ ܠܐ ܡܬܚܙܝܢܝܬܐ ܘܠܐ ܡܬܛܝܒܬܐ: *terra erat tuh vabuh*; i. e. *autem vacua et deserta: sed alio in codice legitur: terra erat invisibilis et incompo-*

[1]) Assemani Bibl. Or. I. p. 64.

sita. Quae hic alio de codice leguntur, iterum spuria censeo, quamvis ea ex codice versionis Peschito alio, e versione Alexandrinorum interpolato, desumta statuat WAHL [1]); LXX enim habent: *ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος.* Aliae hujuscemodi catenae interpretationes Ephraemo falso vindicatae occurrunt p. 117, ubi de spiritu sancto, p. 118, ubi de luce sermo est; p. 148. 153 etc. [2]). Quae cum ita sint, testi nulli fidem habemus, qui testimonii sui veritatem non nisi ex catena nobis persuadere atque affirmare audet [3]).

[1]) WAHL. l. I. p. 89.

[2]) Exempla plura suppeditant: KIRSCH (libri laudati in appendice passim p. VII, XI etc.); SPOHN: de ratione textus bibl. p. 41. — Simeon, monachus quidam, qui hunc catenae codicem scripsit, monet. *"Ego autem Simeon ex studio ac diligentia mea adjeci cuncta scholia, quae ad marginem libri apposita sunt."* ASSEMANI: Bibl. Or. I. p. 63.

[3]) Jam paucis locorum, supra e catena laudatorum, indolem accuratius indagare nobis liceat.

No. 1. Genes. 24, 63. Monetur pro ܠܡܗܠܟܘ *ad ambulandum*, Hebraeum habere ܠܡܪܢܝܘ *ad orandum.* Hebraeus habet לשׂוח, quod est inter *ἅπαξ λεγόμενα.* Comparaverunt interpretes commode Arabum ساح *ambulavit*, quam significationem etiam versio Peschito voci Hebraicae vindicavit. Sed in catena haec interpretandi ratio vituperatur, vertendum fuisse potius ܠܡܪܢܝܘ *ad orandum.* Comites sibi habet catena versionem Samaritanam, et versionis LXX editionem, quae saepe prope ad Syrum accedit, (cf. HIRZEL: l. l. p. 9.) *Aldinam,* ubi προσεύξασθαι legitur. Scholii

§. 7.

Testium reliquorum testimonia rejiciuntur.

Seclusis testium a grege locis, e catena desumtis, reliquorum testimonia haud pauca examinentur oportet.

No. 3. Genes. 49, 20.

Pro: *terra ejus bona* Hebraeum habere: *tinget oleo pedem suum.*

Sed in textu Hebraico nostro loco legitur שמנה לחמו quod Peschito, sententiam magis quam verba spectans, vertit ܐܪܥܗ ܛܒܬܐ *terra ejus bona* Onkelosi, ut videtur, vestigia pre-

hujus auctor, aut pro שוח legit שוח se inclinavit, quod accurate cum Syrorum verbo ܫܘ consentit, aut, quod verisimilius, LXX sequitur; aut ratiocinando hanc significationem excogitavit, cujus rei testem habes scholion a Flaminio Nobili ad hunc locum allatum (Polygl. Lond. Vol. VI.), ἐξῆλθε κατὰ μόνας, τοῖς ἰδίοις λογισμοῖς ἐνομιλῆσαι· οὐ προσκεῖται δή τινι; εἰκότως, ἐπεὶ μηδὲ ἀνθρώπων ἡ τοιαύτη ὁμιλία γίνεται, ἀλλ' ἤτοι πρὸς θεὸν, ἢ αὐτοῦ τινος πρὸς ἑαυτόν. — cf. Winer: de versionis Pentateuchi Samaritanae indole. 1817. p. 33. — Hirzel l. l. p. 20.

No. 2. Genes. 36, 24. Pro ܡ̈ܝܐ *aquas*, Hebraeum habere ܓܢܒܪ̈ܐ *gigantes.* Nos in textu Hebraico legimus ימים, quod alii *aquae calidae*, alii aliter interpretantur; *gigantes* esset האימים. Sic nostro loco *Samaritanus* et *Onkelos*. LXX ἰάμειν. — cf. Vater: *Commentar über d. Pentat.* ad h. l. I. p. 288. — Montfaucon: hexapla. I. ad h. l. — Hirzel l. l. p. 21.

mens, qui habet, דְּאָשֵׁר גָּבָא אַרְעֵיה. Verba autem, *tinget oleo pedem suum*, leguntur Deut. 33, 24. וטבל בשמן רגלו׳ quae Peschito interpretatur ܘܢܨܒܘܥ ܒܡܫܚܐ ܪ̈ܓܠܗ. Quomodo tandem factum est, ut hujus scholii auctor in hunc errorem incideret? textum Hebraicum ab eo non inspectum esse, in manifesto est. Facile nodum solveris, si, lectorem quendam in codicis margine locum parallelum Deut. 33, 34. notasse, statueris; quum autem in eodem margine textus Hebraici lectionem aliquoties notatam invenisset scriba, et haec verba parallela lectionis varietatem opinatus est.

No. 4. Deut. 9, 25.

Oravit: Hebraeum habere, *jejunavit.*

Iterum egregie fallitur auctor. Nullibi in pentateucho verbum occurrit צום. Nostro loco legitur התנפלתי a radice נפל, quae utique cum Syrorum ܢܦܠ *se inclinavit, oravit* congruit. Aut igitur Hebraeorum traditiones, aut paraphrasin quandam secutus est scholii hujus auctor: textum Hebraicum non contulit.

No. 5. Jos. 13, 6.

In explicandis verbis Hebraicis משרפת מים multa halucinati sunt veteres interpretes. Explicatio, quam noster suadet, petita est ex *Jos.* 11, 8. ubi Peschito ܟܢܫܐ ܕܡ̈ܝܐ vertit. Notatum praeterea velim, scholii Syriaci auctorem מצרפת pro משרפת scripsisse, et Olaph voci ܡܐܨܪܦܬ inseruisse. LXX. Μασερεφὼθ - μαΐμ. —

No. 6. Jos. 15, 28 [1]).

Vituperatur Syrus, quod Hebraicum בזיותיה perverse interpretatus sit. Vocem quippe Hebraicam non esse nomen urbis, hancce potius vim ei inesse, ut significet *vici et villae ejus.* Cave ne hanc interpretionem penitiori linguae Hebraicae cognitioni deberi credas; secutus est interpres nec nisi LXX qui male verterunt *καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν.* Hebraeum vero non inspexit hujus animadversionis auctor.

No. 7. Jud. 5, 29.

Hebraeus habet חכמות שרותיה תענינה; quae verba in Peschito versa leguntur ܚܟܝܡ̈ܬܗ ܕܡ̈ܫܪܝܬܗ ܥܢܝܢ ܠܗ Aliam lectionem ܕܡ̈ܫܪܝܬܗ offert Ephraem quae quidem a versione LXX descendit, ut exprimeretur lectio editt. *Ald. Compl.* et *codicis Alex.*, ubi legitur *αἱ σοφαὶ ἀρχουσῶν αὐτῆς;* codex enim *Vatic.* exhibet: *αἱ σοφαὶ ἄρχουσι αὐτῆς.* — Quod porro ad sententiam, quam

[1]) In Bibliis Londin. legitur ܒܐܪ ܫܘܬܐ in codice vero Angl. uno ܒܪܫܘܬܐ quod, ut ex Ephraemo discimus, e ܒܪܫܘܬܐ ortum est. Hunc errorem jam inveteratum esse, docet Arabs qui بربوثيا juxta بيرسبع (*Berseba*) habet. Genuinam lectionem esse ܒܙܝܘܬܐ, unde ܒܪܫܘܬܐ indeque ܒܐܪ ܫܘܬܐ factum, liquet. Lectionem ܒܪܫܘܬܐ secutus est procul dubio Arabs, neque Syrus ex Arabe, ut nonnulli statuerunt, (Rich. Simon. I. l. p. 273.) emendatus dici poterit.

Peschito dedit, attinet, plures veterum interpretes חכמות numero singulari interpretari, et שרות non ܚܟܝܡܬܗܝܢ sed ܫܪܝܬܗܝܢ esse [1]) animadvertitur [2]). Nihil obstat, quo minus sententiae apud Ephraemum obviae auctorem textum Hebraicum omnino consuluisse, statuamus.

No. 8. I Sam. 3, 11.

Recte auctor ad textum Hebraicum provocat, ubi legitur תצלינה.

No. 9. I Sam. 21, 8.

Hebraeus habet ושם איש מעבדי שאול ביום ההוא נעצר לפני יהוה ושמו דאג הארמי. Recte igitur monuit auctor, Hebraeum habere ܢܟܠ, cujus significationes bene eruit. Sed quam ob causam hanc explicationem adjecit auctor? LXX ei ansam praebuisse vix est, quod dubi-

1) cf. Gesenius: *Handwörterbuch* s. v. שׂרה.

2) Audiamus Houbigantium hac de re disputantem: "*Est* חכמות *idem quod* חכמת, *nisi perperam fuit* י *interpolatum. Numero singulari interpretantur Syrus, Vulgatus et Arabs; in* תענינה *vero est alterum* נ *epentheticum, ut solet fieri post* נ *prius. Nihil erat tam planum.* Clericus: *sapientes ac principes foeminae --- ei respondebant interpretatus per fas et nefas, et compellens se in haec dumeta, quia non videt id, quod sole clarius est, verbum* תעננה *esse numeri singularis* et חכמות *sic habendum ut* חכמת." Biblia Hebraica. Paris 1753. vol. 2. p. 102. Houbigantius igitur a parte versionis Peschito stat; quibuscum conferas quae Gesenius (*Lehrgebäude* p. 430.) de forma תעננה, quae duplici huic interpretationi ansam praebuisse videtur, observavit.

tem. Interpretati enim sunt verba Hebraica LXX *καὶ ἐκεῖ ἦν ἓν τῶν παιδαρίων τοῦ Σαὺλ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ συνεχόμενος Νεεσσαρὰν ἐνώπιον κυρίου.* Bis igitur vocem נעצר versam legimus, primo *συνεχόμενος* deinde *Νεεσσαρὰν*; qua quidem in voce *Νεεσσαρὰν*, quum interpretes offenderet, nostra ex sententia hujus in Ephraemi commentario explicationis causa cernitur.

No. 10. I Sam. 24, 4.

Verba Hebraica להסך את־רגליו, quae accurate reddidit auctor, vario modo interpretati sunt veteres: LXX *παρασκευάσασθαι* et *ἀποσκευάσασθαι*, Aquila *ἀποκενῶσαι*. Josephus *τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιήσασθαι.* etc.; quamobrem fallerentur, qui versionis Peschito auctorem aliam textus Hebraici lectionem sequutum esse statuerent.

No. 11. II Sam. 19, 36.

Hebraeus habet אם אשמע עוד בקול שרים ושרות. Quod Peschito in hunc modum reddidit ܐܦܠܐ ܬܘܒ ܡܫܟܚ ܐܢܐ ܕܫܡܥ ܩܠܐ ܕܡܖ̈ܘܬܐ ܘܡܖ̈ܬܐ *neque amplius audire possum vocem dominorum et dominarum*; pro שרים ושרות legit igitur שׂרים ושׂרות. Nostram textus Hebraici lectionem tuentur LXX *ἢ ἀκούσομαι ἔτι φωνὴν ᾀδόντων καὶ ᾀδουσῶν*; —

No. 12. II Regg. 8, 10.

In textu Hebraico legitur לא, quod Masorethae pro לו scriptum monent [1]).

[1]) Observat Masora magna ad *Levit.* 11, 21. quindecies in V. T. לא pro לו inveniri; alii octo-

No. 13. Job. 26, 13.

Verba Hebraica חללה ידו נחש ברח vario modo interpretati sunt veteres. Sequitur noster Symmachum, qui habet: τὸν ὄφιν συγκλείοντα. LXX προστάγματι δὲ (Edit. Compl. αὐτοῦ δὲ προστάγματι) ἐθανάτωσε δράκοντα ἀποστάτην. Vulgat. *et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.* חללה tam a radice חיל quam a חלל derivari potest. Illud esset *fecit, creavit,* sic *Vulg.* et Chaldaeus, hoc *perforavit, occidit* sic LXX. Peschito et Arabs.

No. 14. Jes. 17, 9.

Verba textus Hebraici sunt כעזובת החרש וְהאמיר in quibus interpretandis admodum fluctuant interpretes [1]). Quaeritur, num noster verum viderit. Comitem sibi habet Symmachum, qui, Hieronymo teste, interpretatus est, *sylva et Amir* [2]). Verba *Hores et Amir* aeque ac Syrus retinuit Theodotion. Hinc fieri posset, ut noster Symmachum potius quam Hebraeum sequutus sit.

No. 15. Ezech. 7, 17.

Iterum longe a scopo aberravit noster. Hebraeus offert וכל־ברכים תלכנה מים quod uti-

decim loca enumerarunt. cf. Wolf: Bibliotheca Hebr. II. p. 521.

[1]) cf. Gesenius: Comment. ad h. l., ubi, ut hoc obiter tangam pag. 564. pro ܘܐܡܝܪܗ legendum ܘܐܡܝܪܐ —.

[2]) Montfaucon: hexaplorum Origenis quae supersunt. vol. 2. p. 117.

que cum versione Peschito facit. Verba autem, quae tanquam veram textus Hebraici interpretationem exhibet noster, LXX versioni debentur, *καὶ πάντες μηροὶ μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ.* Hinc jam Ephraemi operum editor, Petrus Benedetti in margine notavit: "*Fortasse confunditur Hebraicus textus cum versione LXX, apud quos ita legitur* [1])."

No. 16. Amos 6, 1.

Verba textus Hebraici נְקֻבֵי רֵאשִׁית הַגּוֹיִם ab antiquissimis inde temporibus multum vexarunt interpretes. Sententiam, quam versio Peschito reddidit, non ferri posse patet. LXX habent: *ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν.* A Justino martyre [2]) locus noster in hunc laudatur modum: *οἱ ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν.* Quibus in verbis duplex textus Hebraici interpretatio ad nos pervenit, quam utrum Justinus jam conjunctam invenerit, an altera a seriore manu apposita sit, non est hujus loci exponere; hoc certe constat, interpretationem: *οἱ ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἐθνῶν* utique convenire cum ea, quam scholii apud Ephraemum auctor commendat. Quae cum ita sint, hujus scholii auctorem non textum ipsum Hebraicum sed interpretem quen-

[1]) Montefalconio teste (l. l. p. 278.) in pluribus codicibus manuscriptis legitur. Ὁ Ἑβραῖος· παραλυθήσονται ὡς ὕδωρ. Ὁ (LXX) μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ.

[2]) Dialogus cum Tryphone c. 22. p. 121. Opp. Hagae Comitum 1742.

dam Graecum secutum esse, verisimile est, praesertim cum jam pridem viri docti, in locis a Justino e V. T. laudatis, haud pauca versionis Theodotionis fragmenta superesse, observaverint [1]).

No. 17. Jon. 3, 4.

Neque hic verum vidit noster [2]) Hebraeus: ויחל יונה לבוא בעיר מהלך יום אחד. Unde hic dissensus? Totum versum LXX vitiose in hunc modum exhibent: *καὶ ἤρξατο Ιωνᾶς τοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὴν πόλιν, ὡσεὶ πορείαν ἡμέρας μιᾶς· καὶ ἐκήρυξε, καὶ εἶπεν· Ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ Νινευὴ καταστραφήσεται.* Ad interpretationem vitiosam *τρεῖς* observat Theodoretus: *Ακύλας, Σύμμαχος καὶ Θεοδοτίων, τεσσαράκοντα. συμφωνοῦσι δὲ καὶ τούτοις καὶ ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος.* Hinc fieri potuit, ut cum Syrus quidam versiones Graecas cum Peschito conferret, et discrepantiam inter hanc et LXX observaret, margini notam adspergeret: *Hebraeus quadraginta,* eo consilio, ut versionis Peschito textus inde confirmaretur. Quum postea Ephraemus in hanc marginis notam incidisset, et in textu Syriaco eandem lectionem invenisset, hanc notam ad vocabulum

[1]) Stroth: in (Eichhorn:) *Repertorium für biblische und morgenländische Literatur* Pars II. p. 76 ss.

[2]) Animadvertit Assemani (Bibl. Or. I. p. 71.): "Suspicor, vel Ephraemum Hebraico exemplari parum accurato usum fuisse; vel librarii incuria factum, ut *τὸ* quadraginta dies cum introitu Jonae in civitatem Niniven conjungeretur."

μιᾶς referendam esse, opinatus est. Inde Ephraemi error, mea ex sententia, est enatus, quem e textu Hebraico frustra explicare conaberis.

No. 18. CATENA IN GENESIN.

Recte observat noster a radice שבע descendere verbum Hebraicum significans *jusjurandum;* sed fallitur si ipsi radici שבע hanc significationem inesse contendit; jusjurandum Hebraeis est שְׁבוּעָה.

No. 19. GENES. 49, 23.

Hebraeus habet בַּעֲלֵי חִצִּים, quod versio Samaritana reddit מסחני פלגים cf. WINER: de versionis Pentateuchi Samaritanae indole. p. 9. — Samaritanus apud *Montefalconium: κατοχοὶ μερίδων.* LXX recte: *κύριοι τοξευμάτων.* Hujus discrepantiae originem detegere licet apud Onkelosum, qui vertit בעלי פלגותיה *domini divisionis ejus*, unde eum חציה pro חצים legisse liquet.

No. 20. JUDICUM libri inscriptio.

In Bibliis Londinensibus judicum liber hunc prae se fert titulum: ܣܦܪ ܕܝܢܐ ܕܒܢܝ ܐܝܣܪܐܝܠ ܕܡܬܩܪܐ ܒܥܒܪܐܝܬ ܫܦܛܐ. Bene quidem explicuit Ephraem Hebraicam hujus libri inscriptionem, attamen insertum ante literam ܐ Olaph (ܫܐܦܛܐ et ܫܐܦܛܝܢ) nos offendit, propterea quod in Hebraico non exstat.

No. 21. I SAM. 23, 28.

In Hebraico est סלע, nullibi autem in lingua Hebraica occurrit vox סנעור. Recte cap. 23, 25.

Peschito retinuit ܠܣܠܐ. Quum ab Ephraemo proposita verbi ܣܢܥܘܪ interpretatio bene quadret cum Hebraico סלע, autumare possis ܣܠܐ pro ܣܢܥܘܪ esse legendum, et hac ultima in voce scribendi vitium latere. Quo minus haec sententia ferri possit, impedit Arabs, qui eandem lectionem offert سنعار. Quae quum ita sint, alia hunc locum expediendi ratio nobis magis arridet. Statuimus autem, Ephraemum ex viro quodam linguae Hebraicae gnaro, quaenam sit vocabuli ܣܢܥܘܪ significatio, quaesivisse; hunc autem, textu Hebraico inspecto, respondisse: vocis Hebraicae significationem esse *rupem*. Hanc explicationem retulit Ephraem, in textu Hebraico סלע, neque ܣܢܥܘܪ, legi ignorans.

No. 22. I Regg. 7, 21.

Verba Hebraica יָכִין et בֹּעַז retinuit Peschito; quorum prius Ephraem recte interpretatur per نَعَمْ; pro בֹּעַז autem legit בְּעֹז.

No. 23. I Regg. 18, 44.

Hebraeos, quibus mare mediterraneum ad occasum situm erat, ים *mare* de occidentali coeli regione usurpare, satis notum est; non esset igitur, cur in exponendo hoc loco diutius versaremur, nisi jam veteres haec vox offendisset; habent enim editt. *Aldina* et *Compl.* ὕδωρ ἀπὸ θαλάσσης.

No. 24. II Regg. 3, 4.

Recte interpretatur noster verbum נקד. Eandem interpretationem tuentur Aquila ποι-

μνιότρεφος Symm. *τρέφων βοσκήματα.* Theodoretus monet: *οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ τὸ Νωκὴδ ἀρχιποιμένα ἡρμήνευσαν.* Chald. מרי גתין *dominus pecorum.* LXX *Νωκήδ.*

No. 25. Job. 41, 13.

Hebraicum חלחט retinuit Peschito. Bene interpretatur Ephraem hanc vocem verbis synonymis ܐܬܡܟܟܘܢ, ܐܬܟܪܣ et ܐܬܥܘܐܠ —.

No. 26. Daniel. 8, 2.

Retinuit Peschito verba textus Hebraici אֻבַל אוּלַי, quorum prius Ephraem duplici ratione explicat, interpretatione e lingua Syriaca petita, si Assemano [1]) fidem habemus, qui animadvertit: *Abul enim apud Syros portam, vestibulum, porticum et columnam significat: Ulai vero fluvius est Susianae regionis, ad cujus ripam Daniel visionem supra memoratam accepit.* Admodum fluctuant veteres in his verbis explicandis LXX *ἐπὶ τῆς πυλῆς οὐλαί* cf. edit. Complut. Arabs على الدهليز *supra vestibulum* Aqu. *Οὐβάλ Οὐλαί* Theodot. *ἐπὶ τοῦ Οὐβάλ.* Symmach. *supra paludem Ubal.* Hieron. *super portam Ulai.* Vetus scholion a Flaminio Nobili laudatum: *ὄνομα ὄρους περσικοῦ, ἀφ' οὗ τὰ τῆς ὁράσεως κατασκοπεῖν ὁ προφήτης ἐδόκει, οὕτως αὐτῷ τοῦ πνεύματος ὑποδειξάντος.* Eudoxius: *ἡ κατὰ τοὺς ἄλλους ἑρμηνευτάς, ἐπὶ τοῦ οὐλβίδ* (i. e. *οὐβάλ*) *τουτέστι πύλην ἐπὶ γέφυραν τοῦ ποταμοῦ κειμένην.*

[1]) Bibl. Orient. I. p. 75.

No. 27. Joel. 3, 2. (4, 2.)

Verba Hebraica עמק־יהושפט interpretati sunt LXX *κοιλάδα* Ιωσαφάτ. Theodotio *τὴν χώραν τῆς κρίσεως*. Neque Ephraemi interpretatio accuratior est; significat enim יהושפט *deus judicat*, haud vero *deus judicii*.

Examinatis singulis jamjam testimoniis, multa esse, quae nobis suspicionem moveant, inficias ire non possumus. Primo testimonia 3°, 4to, 6to, 15to, 17to, 21° loco audita falsa judicamus, damnamus. Porro ex tot locis, in quibus Peschito cum textu Hebraico non accurate consentit, Ephraemum nec nisi ea notasse, in quibus veteres interpretes graeci, quos plerumque sequitur, a versione Peschito recedunt, omnino nos offendit. Hinc nullibi versionem Peschito cum textu Hebraico esse ab Ephraemo collatam, sed has emendationes potius Origenis hexapla fontem, unde haustae sint, habere contendimus [1]). Inde quoque lectionem variantem Jos. 13, 6. (No. 5.) מצרפת מים (ܡܣܪܦܘܬ ܡܐܝܡ) pro משׂרפת מים esse ortam, nullus dubito. Quandoquidem enim Graeci literam Hebraicam צ in Σ mutare solent Syrus Μασρεφὼϑ μαΐμ, quod apud LXX legitur, literis Syriacis ܡܣܪܦܘܬ ܡܐܝܡ reddidit. Confirmat hanc sententiam litera Olaph voci ܡܐܝܡ inserta [2]). Non igitur

[1]) De versione Syrorum hexaplari vide Eichhorn l. l. II. p. 181 ss.

[2]) cf. אֶבְרָיִם Syr. ܐܦܪܝܡ — דִּבְלָיִם Hos. 1, 3. Syr. ܕܒܠܝܡ — ܕܒܠܐ etc.

hoc loco textus Hebraici lectionem variantem concedimus, cujus etiam apud KENNICOTT nulla vestigia inveniuntur. Neque nostrae sententiae, Ephraemum linguae Hebraicae haud peritum fuisse, adversantur illa loca, in quibus verba Hebraica, quae versionis Peschito auctor retinuerat, explicantur. Pleraeque harum explicationum auctorem, in lingua Hebraica non admodum exercitum, produnt. Ephraemi in patria Judaeos permultos degisse constat: ἔνθα καὶ πλῆθος ἦν Ἰουδαίων, JOSEPHUS [1]) refert; et Edessae atque Nisibi, qua in urbe Herodis tempore Judaeorum aerarium asservabatur [2]) scholae Judaicae floruerunt [3]). In hac frequenti cum Judaeis consuetudine factum esse, conjicio, ut, quemadmodum Hieronymus Judaeis Palaestinensibus magistris usus est, ita quoque Ephraem Hebraeos, literis excolendis studia conferentes, consuluerit eorumque auxilio in explicandis verbis Hebraicis fructus sit. Ab hoc igitur Ephraemi cum Judaeis commercio tum singulae illae verborum Hebraicorum interpretationes repetendae erunt, tum traditiones, et explicationes, quarum Ephraemi in commentariis saepius mentio fit [4]).

1) Antiquit. 15, 2, 1. ed. HAVERCAMP p. 741. et SPANHEMII nota ad h. l.

2) JOSEPH. antiq. 18, 9. 1. p. 906. et 18, 9, 9. p. 913.

3) ASSEMANI: Bibl. Or. I. Proleg. p. 2 et 3. — WOLF: Biblioth. Hebr. II. p. 921.

4) Comment. in Daniel. 8, 2. Opp. II. p. 217. *Ubal Ulai* i. e. *ad portam aquarum, alii inter-*

Utrum Ephraem ipse Origenis hexapla cum versione Peschito contulerit, an has discrepantias in codicis, quo usus est, margine notatas invenerit, disceptari potest. Paucis dicam quod sentio. Ephraemum ipsum hexapla Origenis contulisse vix est, quod mihi persuadere possim; quo minus hoc statuamus, loca numero 3 et 17 laudata obstant. Sed alia plura horum locorum ne Ephraem quidem ipse commentariis suis inseruit, quum ab ejus V. T. explicandi ratione longe abhorreant, et si ea e textu ejeceris, nihil est quod desideres; haec igitur serioris temporis addidamenta judicamus. Ephraemi autem commentarios pluribus locis ex versione LXX interpretum esse interpolatos jam pridem viri docti observarunt [1]), cujus quidem rei infra ex Hosea (10, 14.) exemplum habebis insigne. Attamen jam Ephraemum in codice suo notas quasdam marginales passim invenisse, easque in commoda sua vertisse lu-

pretantur (ܐܚܪ̈ܢܐ ܐܡܪܝܢ) *columna.* — Comment. in 1 Sam. 17, 55. Opp. I. p. 370. ܗܪܟܐ ܐܢܫܝܢ ܐܝܟ ܡܫܠܡܢܘܬܗܘܢ ܐܡܪܝܢ *hic nonnulli traditionis nomine dicunt.* ibid. 31, 6. p. 391. ܐܡܪܝܢ ܓܝܪ ܐܢܫܝܢ ܕܡܛܠܬܐ ܥܠ̈ܠܬܐ ܬܠܬ *triplicem enim causam, cur Jonathan occisus fuerit, proposuerunt nonnulli.* II Sam. 21, 1. p. 425. — 1 Regg. 18. p. 496. — II Regg. 4, 39 etc.

1) Spohn: de ratione textus biblici. p. 38 ss. — Wahl: l. l. p. 83 ss.

benter concedimus, praesertim cum ejusmodi notis Syri codices suos saepius instruxerint [1]).

Haec de textu Hebraico, quem ab Ephraemo nullibi inspectum et cum versione Peschito collatum, argumentis satis multis et firmis comprobavimus [2]).

[1]) Exempla offerunt codex Ephraemi commentarios in genesin complectens vide Assemani Bibl. Or. I. p. 67. — Codices, quos *Thomas* Heracleensis notis marginalibus ornavit cf. Assemani Bibl. Or. II. p. 334. — Eichhorn: *Einleitung in das N. T.* vol. 4. p. . Cod. Parisiensis cujus descriptionem dedit Bruns (*Repertorium für orientalische und biblische Literat.* tom. 8 et 9).

[2]) Qua in re contra Assemani, Benedetti et Spohn sententias mecum consentientem video Virum Cel. Kirsch (l. l. praef. p, xxiv). "Praeterire non debeo silentio, mihi quidem in Ephraem Syro, qualem nunc ex ejus commentariis novi, nullam sermonis hebraici notitiam fuisse videri. Assemanus ex duobus locis ex Genes. 1, 1. Jon. 3, 4. Ephraemum hebraici ut et graeci sermonis non ignarum fuisse putat patere. Sed ex mea sententia utrumque argumentum talo stat admodum infirmo. Neque firmiora mihi visa sunt ea argumenta, quibus laudatis *Spohnius* in sua dissertatione, *de ratione textus biblici in Ephraem Syri commentariis obvii*, suam sententiam superstruere voluit. Nam quamquam *omnia loca* (?), in quibus Ephraemus hebraei codicis et graecorum interpretum mentionem facit, diligenter indicavit, ex hac tamen mentione, quae frequens etiam non est, eum graece aut hebraice scivisse, minime intelligitur. Immo maxime est credibile, *Ephraemum, cum suos commentarios conscriberet, neque codicem Hebraeum neque LXX viros ante oculos habuisse, sed aliorum tantum observationibus usum esse.*"

§. 8.

Graecae linguae scientiam an habuerit Ephraem?

Praeter Hebraeum aliquoties etiam Graecum (ܝܘܢܝܐ) Ephraemi in commentariis laudatum reperimus; et in locis, e V. T. laudatis, consensum quendam cum versione Alexandrinorum Graeca detegimus; num ipse Ephraem LXX cum versione Peschito contulit et hanc illis magis congruam reddere studuit?

Quisnam ille apud Ephraemum Graecus? interrogantes inveni Viros Doctos. Quomodo tandem, ut versionem LXX, quae tanta apud illius temporis Christianos floruit auctoritate, simpliciter Graecum diceret Ephraem, factum est? Facile his ex difficultatibus se expedient, qui Ephraemi in commentariis textum Hebraicum versioni Alexandrinae opponi et illi plus, quam huic, auctoritatis vindicari animadverterint: quin immo semel (loco mox laudando) Graecus et LXX de eadem re promiscue usurpati inveniuntur. Huc accedit, quod quotiescunque Graecum apud Ephraemum laudatum reperimus, textum cum versione Alexandrina consentientem videmus. Ephraemi igitur Graecum versionem esse LXX jure meritoque statuimus. Pauca loca, in quibus Graeci mentio fit, haec sunt:

1) I Regg. 14, 3. (Comment. Opp. vol. I. p. 480). ܘܩܫܝܫܐ ܐܝܟ ܗܘܐ ܥܢܒܐ ܢܘܡܐ *et fructus aridos, Graecus habet uvas* – – LXX σταφίδας. Sed hic versus cum pluribus aliis ejusdem

capitis deest in codice *Vaticano* et ex versione THEODOTIONIS codici *Alexandrino* insertus dicitur. Cf. BREITINGER V. T. ex versione LXX. tom. 2. prolegg. cap. 1. §. 67. FLAMINIUM NOBILEM p. 58. (Polygl. Lond. vol. VI.) et MONTEFALCONIUM ad h. l.

2) AMOS 6, 1. (Comment. Opp. II. p. 263).

ܝܘܢܝܐ ܗܟܢ ܐܡܪ. ܩܛܦܘ ܪ̈ܫܝܬܐ ܕܥܡ̈ܡܐ

Graecus quidam habet: vindemiarunt primitias gentium. LXX. *ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν.* (vide §. 5. No. 16).

3) JONAS 3, 4. (ASSEMANI B. O. I. p. 70).

ܒܝܘܢܝܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܕܥܕܟܐ ܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ ܢܝܢܘܐ ܡܬܗܦܟܐ

Apud Graecum legitur: adhuc tres dies Ninive subvertetur.

Paulo infra *)

ܫܦܝܪ ܗܟܝܠ ܗܢܘܢ ܫܒܥܝܢ ܦܫܩܘ ܕܐܡܪܘ ܥܕܟܐ
ܝܘܡܝܢ ܘܢܝܢܘܐ ܡܬܗܦܟܐ: *recte igitur septuaginta interpretes verterunt: adhuc tres dies et Ninive subvertetur.* Sic plane LXX: *ἔτι τρεῖς ἡμέραι καὶ* Νινευὴ *καταστραφήσεται.*

4) ZACH. 11, 15. (Comm. Opp. II. p. 293):

ܪܥܝܐ ܫܛܝܐ. ܝܘܢܝܐ ܕܝܢ ܪܥܝܐ ܕܠܐ ܡܕܥ ܐܡܪ

pastor stolidus: Graecus autem, pastor non peritus dicit. — LXX *ποιμένος ἀπείρου.*

*) Uterque locus in ASSEMANI *bibliotheca or.* legitur. In Ephraemi operum editione Romana frustra commentarium in Jonam quaesivi. Hinc dirimi possunt, quae monuit EICHHORN: *Einl. in d. A. T.* II. p. 266 ss.

Supereest, ut de duobus aliis locis, ad quae Viri Docti provocarunt, paucis, quid nobis visum sit, exponamus. Horum locorum alter in catena in GENESIN 1, 2. (I. p. 116.) legitur, quem quidem spurium jam supra (§. 6.) jugulavimus; alter in commentario in prophetam ZACHAR. 3, 9, 10. exstat: ܒܡܦܩܢܘܬܐ ܐܚܪܬܐ ܗܟܢܐ ܟܬܝܒܐ
ܕܐܡܝܪ. ܗܐ ܐܢܐ ܚܦܪ ܐܢܐ ܓܘܡܨܐ ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܐܚܝܕ
ܟܠ ܘܐܡܫܫ ܠܟܠܗ ܥܘܠܐ ܕܐܪܥܐ ܗܝ ܒܝܘܡܐ ܚܕ.
ܒܝܘܡܐ ܗܘ ܐܡܪ ܡܪܝܐ ܚܝܠܬܢܐ ܬܩܪܘܢ ܐܢܫ ܠܚܒܪܗ
ܬܚܝܬ ܬܐܢܬܐ ܘܬܚܝܬ ܓܦܬܐ.

In alia versione sic scriptum est: ecce fodio ego foveam, ait Dominus omnipotens, et attrectabo omnem iniquitatem terrae illius die uno; die illo, ait dominus exercituum, vocabitis homo socium suum subter ficum et subter vitem; quod cum LXX interpretibus consentit: Ἰδοὺ ἐγὼ ὀρύσσω (Compl. ὀρύσσων) βόθρον, λέγει κύριος παντοκράτωρ, καὶ ψηλαφήσω πᾶσαν τὴν ἀδικίαν τῆς γῆς ἐκείνης ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, λέγει κύριος παντοκράτωρ, συγκαλέσετε ἕκαστος τὸν πλησιὸν αὐτοῦ ὑποκάτω ἀμπέλου καὶ ὑποκάτω συκῆς. Hanc *aliam versionem* esse ipsam septuagintaviralem persuasum est SPOHNIO [1]); nullis

[1]) De ratione textus biblici p. 13. — Nullis plane firmis argumentis stabiliri potest sententia Celeb. WAHL l. l. p. 87. "*Die Citirformel* ܒܡܦܩܢܘܬܐ

enim, inquit, argumentis certis probari potuit, aetate Ephraemi versiones graeco-Syriacas jam exstitisse. Quod nobis secus videtur. Inde enim, quod Ephraemi saeculo versionem Syriacam ex versione Graeca Alexandrinorum translatam nondum habuisse Syros, concedimus [1]), versionem hanc ab Ephraemo laudatam ipsam esse graecam septuaginta virorum, nequaquam sequitur. Versionem Peschito Ephraemi tempore ex graeca Alexandrinorum fuisse interpolatam constat; fieri ergo potuit, ut haec *alia* Ephraemi *versio* codex versionis Peschito ex graeco interpolatus fuerit. Caeterum et haec scholia Ephraemum codicis, quo usus est, in margine invenisse et in commoda sua vertisse, eaque postea aut a lectoribus aut a scribis aucta esse, contendimus. Quodsi hanc tuemur sententiam tam errores, quos saepius in his scholiis deteximus, quam in laudandis, ex quibus manaverint, fontibus inconstantia et ambiguitas, cujus novum exemplum in illo ܝܘܢܝܐ ܚܕ (*graeco quodam*) habes, explicantur. Vix enim, qui primus hunc locum

ܐܚܪܢܐ *nach einer andern Uebersetzung hat ebenfalls mit dem Jaunoio nichts zu thun, sondern deutet wahrscheinlich auf die egyptische Version der biblischen Bücher, die freilich aus den LXX geflossen ist. Daſs Ephräm des Egyptischen kundig war, hat man längst aus seinem Leben geschlossen."*

[1]) Sententiae contrariae ipse ASSEMANI favere videtur. cf. Bibl. Or. III. p. 76. Nota.

(No. 2.) cum LXX contulit, scripserit, *graecus quidam* [1]); quo ex scholio hoc simul apparet, ejus auctorem V. T. versiones graecas cognovisse plures.

In his, quae adhuc disputavimus, quaestionem, fueritne Ephraem linguae graecae gnarus, intactam reliquimus, et fortasse ei supersedere possemus, nisi in locis, ab Ephraemo e V. T. laudatis, plura occurrerent, in quibus, contra nostrum versionis Syriacae textum, cum versione Alexandrina consentit. Jam igitur nobis, utrum Ephraem versionem Peschito e graeco mutaverit, exploraturis, noster an linguam graecam calluerit, erit indagandum.

Quum SOZOMENUS [2]) et THEODORETUS [3]) Ephraemum eruditionis graecae expertem dicant, fuerunt, qui, eum linguae graecae cognitionem habuisse, omnino denegarent [4]): quorum sententiam ut reprobet ASSEMANI [5]), non de

1) Iterum nos offendit sententia a Celeb. WAHL (l. l. p. 87.) proposita; esse hunc *graecum quendam*, ignoti cujusdam auctoris versionem graecam, qui ex LXX multa receperit.

2) SOZOM. h. eccl. 3, 16. ed. READING p. 111. (Ἐφραΐμ) καίπερ Ἑλληνικῆς παιδείας ἄμοιρος; qua in re opponitur HARMONIO Bardesanis filio, quem dicit (p. 110.) διὰ τῶν παρ᾽ Ἕλλησι λόγων ἀχθέντα.

3) hist. eccl. 4, 29. ed. Reading p. 166. (Ἐφραΐμ) παιδείας γὰρ οὐ γεγευμένος Ἑλληνικῆς.

4) TILLEMONT: memoires pour servir à l'hist. eccl. tom. 8. p. 743. GUIL. CAVE: historia literaria. I. p. 133.

5) *Biblioth. Or.* I. p. 55.

Graeco sermone, sed de graecorum sapientia, Sozomenum et Theodoretum loqui monet. In tanto bonarum literarum desiderio, quo flagrabat Ephraem, quin ab linguae graecae sibi temperaverit studio, vix nobis persuadere possumus. Acta sanctorum, Ephraemum precibus Basilii Magni linguae Graecae donum obtinuisse [1]) uno ore declarant, unde hoc saltem, miraculo seposito, colligi poterit, nostrum linguae graecae non rudem fuisse. Sed majoris momenti, argumentum ex ipsius Ephraemi dictis desumtum nobis in promtu est. Permulta, inquit noster [2]), se didicisse ex graecorum auctoribus, *Aristotele, Porphyrio, Platone, Socrate, Galeno* aliisque, quos magnopere emendat, neque vero Ephraemum horum libros Syriace versos legisse probabile est.

Quae quum ita sint, Ephraemum linguae graecae non ignarum fuisse contendimus, scholia vero in ejus operibus obvia, in quibus LXX cum versione Peschito comparantur, ipsum e versione LXX repetivisse negamus. Num versionem Peschito ex LXX emendaverit, infra dijudicabimus.

1) Assemani: Bibl. Or. I. p. 44. — Ephraemi Opera vol. I. testimonia de S. Ephr. — vol. III. praef. p. xlvii.

2) Sermones exegetici. Opp. vol. 2. p. 317 s. Plures fortasse ejusmodi loca nobis laudanda fuissent, nisi omnia volumina Ephraemi operum inspiciendi, facultas defuisset.

§. 9.

Num Ephraemi aetate vocalium signis usi sint Syri?

Difficilior exploratu quaestio movetur de vocalium signorum apud Syros usu. Enimvero enim haud paucis in locis consensus inter versionem Peschito et textum Hebraicum mutatis vocalium signis efficitur; quaenam igitur auctoritas vocalium signis, tam in nostro textu, quam in Ephraemi commentariis, tribuenda est? Num Ephraemi aetate scriptis vocalium signis jam usi sunt Syri? Antequam vocalium signa inventa sunt, puncto quodam diacritico usi videntur Syri. Cujus quidem puncti usus quamvis patuit longissime, tamen potius id, ut voces iisdem literis scriptae facilius distinguerentur, spectasse videtur, quam ut vocalium vices gesserit [1]). Attamen ne saeculum quidem, quo hujus puncti diacritici usum, quem alii saeculo p. Ch. n. sexto alii primo vindicant [2]), Syri receperint, in comperto habemus.

[1]) DE DIEU: grammatica linguarum orientalium etc. p. 36 ss. ISENBIEHL: *Beobachtungen von dem Gebrauch des Syrischen puncti diacritici bei den Verbis.* Gott. 1773. MICHAELIS: grammatica Syriaca. p. 36.

[2]) Conferas hac de re: GESENIUS: *Geschichte der Hebräischen Sprache und Schrift.* p. 182 ss. — HARTMANN: *linguistische Einleitung.* p. 100 ss. — Qui nuperrime hac de re scripsit EWALD (*kritische Grammatik der hebräischen Sprache.* Lpz. 1827) proposuit haec (p. 55.): *es möchte leicht wahrscheinlich sein, daſs* (dieser Punct) *einst* (*etwa um Christi Zeit und noch später*) *in allgemeinem Gebrauch bei den Semiten war. Denn auch die älteste syrische Schrift kennt jene Puncte etc.*

Omnibus igitur externis testimoniis, ex quibus, quonam tempore vocalium signa apud Syros in usum venerint, colligi possit, destituti, Ephraemi opera nobis sunt adeunda, an fortasse ibi vestigia quaedam lateant, quibus detectis de causae agitatae tunc temporis statu certiores fiamus. Nobis, in hoc consilio exseqnendo occupatis, statim locus iste se offert, ad quem, a Celeberrimo J. D. MICHAELIS singulari commentatione tractatum, toties jam provocarunt Viri Docti, Syros Ephraemi tempore vocalium signa habuisse, probaturi.

Etenim in commentatione, inscripta: *Observatio de Syrorum Vocalibus ex Ephraemo*[1]) MICHAELIS, cujus Verba repetimus, haec proposuit (p. 170 ss.):

"*Fuerunt Syris initio tria duntaxat puncta A, I et O significantia, sed et nonnunquam ut E et U appellata, quod Arabia non docet. —— Ephraemum enim Syrum legens, deque aliis rebus consulturus, de quibus non respondit, in locum incidi, ex quo manifeste apparet, hujus viri tempore (natus autem est sub Constantino M.) et fuisse Syris vocales, et jam fuisse antiquas. Asinos Syri pluraliter* ܚܡܳܪ̈ܐ *et* ܚܶܡܪ̈ܐ *dicere possunt, hoc quidem, si Castellum audias, discrimine, ut* Chmore *sit pluralis pauoitatis, infra numerum denarium,* Chëmre *pluralis multitudinis. Uterque plura-*

[1]) *Commentationes.* editio 2. auctior Bremae 1774. Commentatio VIII. p. 167-177.

lis, cum solis distinguatur vocalibus; Ephraemus tamen et damnat alterum ut idioticum, et addit, in codicibus utriusque foederis nuspiam se nisi Chemre reperisse. Verba adscribam. Disputat de Ana, asinos patris in deserto pascente Genes. 36, 24. (*Opp. T. I. p.* 184. *in catena*) *additque: sciendum est, quod in utroque hucusque testamento semper* ܚܡܪܐ *invenerimus non autem* ܚܡܪܐ *ut putant aliqui ex inscitia. Non poterat haec Ephraemus scribere, nisi ipsius tempore puncta vocalia haberent Syri,* et vero ea jam *antiquitatate, ut quod verbum idioticum esset, quod probum, ex codicum punctis judicandum esset. Nec tamen haec puncta quinque fuerunt, alioqui non opus habuisset Theophilus saeculo VIII, vocales a Graecis mutuari, sed tria ut apud Arabes.*"

Haec Michaelis. Attamen omnis ejus disputatio fundamento nititur admodum infirmo. Quodsi enim hunc, ad quem provocat Michaelis, locum inter mera Ephraemi invenissem scripta, quin eum spurium judicarem, vix mihi temperare potuissem; qua quidem de re, simul atque hunc locum ex *catena in genesin*, in qua Ephraemi aliorumque auctorum explicationes mixtae leguntur, desumtum cognovi, nullus plane dubito. Etenim, quae hoc loco leguntur, ab omni Ephraemi libros sacros interpretandi ratione abhorrent, et in catenis auctorum nomina nunc omitti nunc inter se

mutari supra docuimus [1]); immo, locus a Celeberrimo Michaelis laudatus altera pars scholii est, cujus primam partem jam supra damnavimus [2]). Horum argumentorum vim ipse MICHAELIS postea sensit; in nota enim, quam commentationis laudatae editioni secundae adspersit [3]): *"Ea circumspicienti,"* inquit, *"quae aliquis aliquando objicere aut dubitare possit, nihil occurrit, nisi suspicaturum forte, qui contradicere cupiat, hunc locum non Ephraemi esse sed Jacobi Edesseni. Accidit enim nonnunquam, ut Jacobi sententia Ephraemo, Ephraemi Jacobo, errore librariorum catenam describentium, tribueretur.* Cui suspicioni ipsum MICHAELIS deinde locum dedisse, ex iis, quae in *grammatica Syriaca* [4]) disseruit, satis apparet. Quae cum ita sint, recentiores fere omnes hunc Ephraemi locum, ut, tunc temporis Syris vocalium signa in usu fuisse, probent, nobis propinare miror. Relicto hoc, quem spurium censemus, loco, alia quaedam ex quibus nonnihil lucis disquisitioni nostrae affulgeat, ex Ephraemo proferemus.

Jam supra, ut Ephraemum textum Hebraicum non inspexisse probaremus, locum laudavimus, quem nunc iterum nostra in commoda vertimus. In commentario ad Hos. 7, 3. (p. 241) ad vocem ܡܠܟܐ (המלך) observat Ephraem:

[1]) cf. §. 8.
[2]) cf. §. 7. No. 2. et §. 8.
[3]) p. 172.
[4]) Halae 1784. p. 37.

ܚܕܝܘ ܠܡܠܟܐ ܗ̄ ܠܝܪܘܒܥܡ ܡܠܟܐ — —
ܐܘ ܚܕܝܘ ܠܡܠܟܐ ܩܕܡܝܐ ܕܐܫܬܠܡܘ — — ܐܘ ܡܚܕܝܘ
ܡܠܟܐ *laetificarunt* ܠܡܠܟܐ ܚܕܬܐ ܕܡܫܠܛܝܢ ܗܘܘ
i. e. *Jeroboam regem* — — *aut laetificarunt reges priores jam vita functos* — — *aut laetificarunt reges, qui tunc temporis imperio gavisi sunt.* Dubius ergo fluctuat EPHRAEM, utrum ܡܠܟܐ an ܡܠܟܐ sit legendum. Inde, Ephraemum nec vocalium signa nec puncta diacritica in codice suo invenisse, luculenter apparet [1]). Haec sententia ex Ephraemi scriptis firmatur et alibi. Inscriptionem libri judicum ܫܦܛܐ (שפטים) explicaturus Ephraem animadvertit (Opp. I. p. 308.): ܗܘܘ ܕܫܦܛܝܢ
ܕܐܠܗܘܬ ܕܝܢܐ. ܟܕ ܗܘ ܕܫܩܠܐ ܒܡܠܟܐ ܒܗ
ܒܫܠ. ܘܗܢܐ ܫܦܛܐ ܕܒܗ ܢܫܩܘܠ ܗܢܐ ܒܡܠܟܐ ܐܘ ܒܫܠܡܐ
ܒܗ ܘܠܗ ܒܫܠ ܐܪܥܐ. ܘܫܦܛܐ ܗܢܐ ܐܝܟ ܕܡܫܠܡܐ

[1]) Aliud, sed incertae auctoritatis exemplum repeti potest ex ejus commentario in Jes. 3, 10. (Opp. II. p. 25.) ubi verba ܐܡܪܘ ܠܙܕܝܩܐ ܕܛܒ Ephraem explicat: ܙܕܝܩܐ ܐܡܪ. ܐܘ ܠܐܠܗܐ ܐܘ ܠܢܒܝܐ ܐܘ ܠܙܕܝܩܐ ܕܒܝܢܬܗܘܢ *Justum dicit aut deum, aut prophetam aut justos* i n t e r e o s. Sic Editor Operum Ephraemi, sed pro ܠܙܕܝܩܐ legi etiam potest ܠܙܕܝܩܐ *justum*, quamvis illud magis se commendet.

ܕܫܦܛܐ ܐܘܟܡܠ ܫܦܐܛܐ. *et hic liber inscribitur* ܕܫܦܐܛܝܡ *i. e. judicum; quodsi in eo contineretur historia nationis, titulus scribendus fuisset cum litera Beth; inscriptio autem genuina judicum litera Phe scribitur nec Beth. Quae quum ita sint, scribatur oportet* ܕܫܦܛܐ *seu* ܫܦܐܛܐ —. In voce originis Hebraicae ܫܦܛܐ, quam ex Hebraeo retinuit Peschito, offenderant Syri. Namque cum voce Syriaco ܫܒܛܐ eam confuderant. Hoc inter utramque vocem discriminis interesse recte animadvertit Ephraem, ut haec litera Beth, illa litera Phe scribatur. Sed cur pronuntiationis, in utraque voce diversae, nullam rationem habuit noster? Quodsi Arabum grammatici verba similia explicant, utriusque verbi literas singulas, tam consonantes quam vocales, deinceps enumerare solent; quod et idem Hebraeis moris est [1]).

Attamen pronuntiationem vocis ܫܦܛܐ non prorsus praetermisit Ephraem, cujus sublevandae causa litera Olaph vocibus ܫܦܐܛܝܡ et ܫܦܐܛܐ inserta videtur. Etenim in scribendis verbis, quae ex linguis alienis, Graeca imprimis et Latina, multa receperunt Syri, magna oborta est difficultas ex literarum vocalium copia; quibus in scribendo omissis, vocis forma

[1]) Buxtorf: tractatus de punctorum, vocalium etc. antiquitate Basil. 1648. p. 189. 348 e. c. נִתַּן בְּפַתַּח הַתָּיו *Nithan cum Pathach sub Thau.*

genuina saepissime adeo periit, ut, quomodo literae consonantes pronuntiandae essent, nullomodo appareret. Hanc difficultatem ut tollerent Syri, id egerunt, ut in scribendis verbis originis alienae, literas, quas vulgo matres lectionis appellant, ܐ, ܘ et ܝ singulis vocalibus substituerent [1]). En exempla quaedam e versione Peschito et Ephraemi scriptis petita.

ܐܐܪ = ἀήρ. — ܐܕܐܡܐܣ = ἀδάμας. — ܐܓܘܢܐ = ἄγων. — ܠܓܝܘܢ = λεγεών. — ܓܐܘܡܛܪܝܐ = γεωμετρία. — ܙܐܛܡܐ = ζήτημα. — ܕܝܐܬܝܩܐ = διαθήκη. — ܡܐܬܝܡܛܐ = μαθήματα. — ܛܝܡܐ = τίμη. — ܐܣܟܡܐ = σχῆμα. — ܐܢܛܝܟܪܝܣܛܘܣ = ἀντιχριστός. — ܦܝܠܘܣܘܦܐ = φιλόσοφος. — ܬܪܘܢܘܣ = θρόνος. — ܐܘܟܠܘܣ = ὄχλος. — ܢܘܡܐ = νομή. — ܢܡܘܣܐ = νόμος. — ܛܘܦܘܢܝܩܘܣ = τυφωνικός. — ܣܘܠܘܓܝܣܡܘܣ = συλλογισμός. — ܩܪܘܣܛܠܠܘܣ = κρύσταλλος. — ܣܘܢܘܕܝܩܘܢ = συνοδικόν. — ܗܕܝܘܛܐ = ἰδιώτης. — ܓܘܢܝܐ = γωνίαι. — ܐܣܘܛܝܐ = ἀσωτία. — ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ = στρατιώτης. — ܩܣܪ = Καῖσαρ. — ܐܣܦܝܪ = σπεῖρα et σφαῖρα. — ܐܝܩܐ et ܐܝܩܝ = εἰκῆ. — ܒܘܠܘܛܐ = βουλευτής. — ܐܘܓܠܝܘܢ =

[1]) cf. Michaelis: grammat. Syriaca p. 54. 56. 57. — Vater: *Handbuch der Hebräischen, Syr. Chald. Gramm.* p. 107 et 115. — Hartmann: *linguistische Einleitung etc.* p. 104 s. — de Dieu ad Apocal. 7, 1.

εὐαγγέλιον. — ܐܘܛܘܩܪܛܘܪ ܀ *αὐτοκράτωρ.* — ܢܘܛܐ ܀ *ναύτης.* — ܟܘܡܐ ܀ *καῦμα.* — ܟܝܪܘܛܘܢܝܐ ܀ *χειροτονία.* — ܦܪܛܘܪܝܢ ܀ praetorium, quibus addere licet ܡܐܝܡ ܀ *μαΐμ.* — Quum postea, ut in linguis vivis fit, horum verborum pars cum indigenis Syrorum sensim sensimque coalesceret, literae quiescentes, vocalium loco positae, in scribendo etiam magis evanuerunt [1]) e. c. ܬܪܘܢܘܣ ܀ *θρόνος.* — ܩܣܪ ܀ *Καῖσαρ.* — ܓܢܣܐ ܀ *γένος.* — ܗܓܡܘܢܘܬܐ ܀ *ἡγεμονία.* — ܛܟ ܀ *τάχα.* — ܛܛܪܪܟܐ ܀ *τετράρχης.* — ܛܒܠܪܐ ܀ tabellarius. — ܟܘܪ ܀ *χώρα.* — ܦܪܓܠܐ ܀ *φραγέλλιον.* — Ex hoc Syrorum more explicanda erit Ephraemi in voce ܡܣܐܬܐ et ܡܣܐܬܝܡ scribendi ratio. Nam, ut has voces cum E producto (Zere) esse pronuntiandas, indicaret, literam Olaph inseruit; in media enim voce Olaph quiescere amat in E et J [2]). Num, quaeso, hoc modo scripsisset Ephraem, si ejus aetate vocalium signis jam usi essent Syri? Huc etiam referendum, quod ܥܕܢ (עֵדֶן)

[1]) Michaelis: *Abhandlung von der Syrischen Spr.* p. 39.

[2]) Michaelis: grammatica Syriae. p. 54. — In Pentateucho quidem, ubi syllaba vocali Zere efferenda est, constanter inseritur י (*Jud*) Hirzel l. l. p. 99s.; quod, Syrorum in scribendis verbis exteris inconstantia, nostrae sententiae non obstat. Quodsi porro Ephraem scripsisset ܡܣܬܐ, hanc formam pro Participio Passivo habuissent Syri.

Joel 2, 3. apud Ephraemum bis scriptum legitur ܥܕܘܢ. Est enim vocis Syriacae ܥܕܢ (ܥܶܕܳܢ) significatio *tempus*; quacum ne confunderetur apud nostrum scribitur ܥܕܘܢ i. e. ܥܕܘܢ.

Nulla igitur neque vocalium signorum neque puncti diacritici vestigia in ea Ephraemi operum parte, qua uti mihi licuit, occurrunt; et vocalium signa Syris Ephraemi aetate omnino fuisse nulla, ex his, quae disputavimus, nostra ex sententia satis constat [1]). Confirmatur haec sententia eo, quod in codicibus manuscriptis, ex quibus Ephraemi opera descripsit Editor Benedetti vocales nullatenus nullibi apparent [2]); porro, quod Syri, recentioris adeo temporis, Biblia sine ullis vocalium signis legere consuescunt [3]). Puncti diacritici usum pari fiducia ab Ephraemi aetate defendere non ausim; quamvis nullum ejus vestigium detexi. Sed haec obiter. Quae cum ita sint, vocalium signis in versione Peschito, quamcunque tandem vetustatem sibi vindicant, auctoritatem concedimus nullam.

§. 10.

Leges, in versionis Peschito textu recte constituendo, criticae.

In versionis Peschito indole dijudicanda, ne interpreti Syriaco vitia quaedam injungamus,

[1]) Eos, qui *Hebedjesum*, quem male ceperant, Ephraemo vocalium signorum usum vindicasse, contendebant, refutavit Assemani: Bibl. Or. I. p. 58.

[2]) Ephraemi Opp. Vol. II. Praef. p. xxv.

[3]) Hottinger: thesaurus philologicus. ed. 2. p. 262 s. cf. *Kirchenzeitung* 1827. Nr. 39.

quae accuratius indagata, aut interpolationes, cognoscuntur aut scribarum et editorum negligentiae debentur, est cavendum. Quamvis autem, ut textum Syriacum his maculis ab omni parte purgemus, fieri nequit, pluribus tamen locis, lectionum variantium et conjecturarum ope sanandis, medicina parata est. Lectiones variantes offert THORNDICII tenuis collectio; plures suppeditant Ephraemi in V. T. commentarii. Versionem Peschito ab Ephraemo e textu Hebraico non esse emendatam jam vidimus; neque vero Ephraemi quamque a nostro textu Syriaco discrepantiam veram lectionis varietatem judicandam, sed multa e memoria laudata, multa a scribis mutata esse, constat [1]).

Leges singulares, in exercenda arte critica, adhibendae, ab ipsa hujus versionis indole repetantur necesse est. Haec autem ejus indoles, nostra ex sententia, quam in sequentibus argumentis sumus tuituri, inprimis cernitur in eo, quod interpres Syriacus textum quidem Hebraicum ducem secutus est, praeterea autem Chaldaeum et Graecum Alexandrinorum consuluit [2]). Hinc in locis singulis expediendis, cuinam

[1]) Saepius enim locorum, ab Ephraemo laudatorum, textus cum explicatione eorum non accurate consentit, unde Ephraemi commentarios merito interpolatos judicamus. Exempla vide v. 11. — WAHL l. l. p. 83 s. — SPOHN. l. l. p. 38 s.

[2]) Quibus inconstantiae hac in re convicti videbimur, eos ad MICHAELIS tractatum de lingua Syriaca (p. 64.) relegamus.

horum trium interpres Syriacus se accomodaverit, est explorandum. Leges igitur tulimus has:

In recte constituendo textu Syriaco ratio utique est habenda textus Hebraici, quem plerumque secutus est interpres.

Inter lectiones variantes duas pluresve, quarum altera cum textu Hebraico, altera cum Chaldaeo consentit, haec est praeferenda; illis praecipue in locis, in quibus inter Hebraeum et LXX nullus est dissensus.

Quas quidem leges etiam in moderandis vocalium signis adhibuimus.

Pars II.

IN VERSIONIS SYRIACAE SINGULORUM PROPHETARUM MINORUM INDOLEM DEINCEPS INQUIRITUR.

Hoseas

§. 11.

Locorum, quae in Ephraem Syri commentariis ex Hosea propheta laudantur, recensus.

Cap. I. *Verss.* 1–4. toti usque ad verbum ܕܗܘܳܐ; omissis tantum quinque versus secundi primis verbis. — *vers.* 6. ܘܒܛܢܬ usque ad ܐܬܪܚܡܬ — *vers.* 7. a. ܥܠ ܒܝܬܐ ܕܝܢ ܕܝܗܘܕܐ ܐܪܚܡ —

Varietas lectionis, insertis animadversionibus quibusdam:

Cap. I. *Vers.* 1. ܕܐܝܗܘܕܐ Ephr. ܕܝܗܘܕܐ bis. — *vers.* 2. ܐܡܪ E. ܘܐܡܪ. — ܬܙܢܐ Pael E. ܬܙܢܐ Peal. — *vers.* 3. ܘܐܙܠ ܘܢܣܒ E. ܘܢܣܒܬ —. ܠܗ bis, E. ܠܟ —. *vers.* 4. ܠܗ E. ܠܟ. — ܥܠ ܕܡܐ E. ܥܡ ܕܡܐ —. ܕܗܘܐ E. ܕܗܘܐ —. *vers.* 6. ܬܘܒ ab *Ephr.* omittitur. — *vers.* 7, b. ܠܐ E. ܘܠܐ — ܐܦܠܐ E. ܘܠܐ, utrumque accuratius cum

b. ܠܐ ܒܥܠܡܐ usque ad ܒܫܡܫܐ. — *vers.* 11. a. ܘܠܐ ܕܘܟܪܢܐ usque ad ܐܚܪܝܐ — b. ܡܛܠ usque ad ܕܢܗܘܘܢ ܠܐܚܪܝܐ —.

Cap. II. *vers.* 1. totus. — *vers.* 2. a. ܘܠܓܘܚܟܐ ܐܡܪܬ ܕܡܫܘܚ —. b. ܡܛܠ usque ad ܐܢܬܝ —. c. ܬܥܒܕ usque ad ܬܗܘܐ —. *vers.* 3. ܕܠܐ ܐܡܫܟܢܝܗ ܟܪܝܐ —. *vers.* 4. ܡܛܠ usque ad ܐܢܐ —. *vers.* 6. ܗܘ usque ad ܕܒܪܝܬ —. *vers.* 7. a. ܘܩܢܝܬ usque ad ܐܢܐ ܬܪܬܝܢ — b. ܘܩܢܝܬ usque ad ܩܢܝܢܐ — *vers.* 11. E. ܡܛܠܟܘܬܐ ܐܫܬܡܫ, ܘܩܢܝܬ ܡܛܠ ܗܢܐ ܚܝܘܬܗ quod e versibus 9 et 11 compositum videtur. — *vers.* 12. ܘܐܬܦܢܝܬ usque ad ܘܐܬܘܗ —. *verss.* 13 et 14. toti — *vers.* 15.

textu Hebraico facit. Mox eadem verba repetita cum textu Polygl. consentiunt, sed suspicor haec verba a seriore manu addita. — *vers.* 11. a. ܟܠܗܘܢ ܥܒܕܝ ܕܥܒܕܘ ܐܝܕܝ Ephr. ordine inverso ܟܠܗ ܐܝܕܝ ܥܒܕܝ ܕܥܒܕܝ —. b. ܥܡܠܐ E. ܥܡܠܗ —.

Cap. II. *Vers.* 1. ܒܣܘܟܠܐ E. ܒܣܘܟܠܐ: prius praeferendum. — *vers.* 2, b. E. ܠܐܢܬܘܢ ܡܢ ܠܐ ܐܢܬܝ — 2. c. ܬܥܒܕ E. ܬܥܒܕܝܢ — *vers.* 7. a. ܘܩܢܝܬ Ephr. ܘܩܢܝܬܐ —. ܬܪܬܝܢ E. ܬܪܬܝܢ — 7, b. ܘܩܢܝܬ E. ܘܩܢܝܬܝ —. ܐܢܐ ܠܝ deest apud Ephraem. — *vers.* 14. ܗܘ deest. — *vers.* 15.

ܘܐܢܫܐ usque ad ܗܦܟܬܟܘܢ. — vers. 16. ܘܢܗܘܐ usque ad ܒܠܚܘܕܝܟ. — vers. 19. ܘܐܬܒܠܥ ܠܟ ܡܫܡܫܢܘܬܐ, quibus verbis hujus versus sensum potius referre, quam ipsa verba singula reddere studuit. — verss. 21 et 22. ܐܚܝܢܐ usque ad ܠܐܪܙܝܐ. —

Cap. III. *Vers.* 1. a. ܢܫܩܢܝ usque ad ܐܪܙܝܐ — 1, b. ܢܫܩܢܝ ܕܦܘܡܐ ܕܐܝܠܗ. — *verss.* 2 et 3. integri usque ad verba ܐܚܒܬܟ ܠܟ — *vers.* 4. a. ܡܛܠܗܢܐ usque ad ܕܪܚܡܬܟ. — 4, b. ܠܟܘܢ ܘܪܚ ܕܟܠܗ. — *vers.* 5. ܘܡܢ usque ad ܡܠܟܘܬܗ.

ܡܫܡܫܢܘܬܐ E. ܘܡܫܡܫܢܘܬܐ sicut textus Hebr. habet. — *vers.* 16. ܐܡܪ ܡܢܐ omittitur. — *vers.* 22. ܘܗܘܘ ܢܒܝܢ, quae verba ante ultimam hujus versus vocem leguntur, desunt apud Ephraemum; quod nec nisi scribarum negligentiae tribuendum erit, cum sensus ea flagitet.

Cap. III. *Vers.* 1. a. ܢܫܩܢܝ E. ܘܢܫܩܢܝ; LXX. *καὶ ἀγάπησον.* — ܐܪܙܝܐ ܠܟܘܢ E. ܠܐܪܙܝܐ — 1, b. ܕܦܘܡܐ ܕܐܝܠܗ E. ܕܦܘܡܐ ܕܐܝܠܗ — *vers.* 4, a. verba ܘܪܚܡܐ ܡܫܝܚܐ praetermisit Ephraem. — *vers.* 5. Ephr. ܘܡܢ ܗܘܐ ܡܠܟܘܬܗ

5 *

Cap. IV. *Vers.* 1. ܕܝܢܐ ܠܡܪܝܐ ܥܡ ܥܡܘܪ̈ܝܗ ܕܐܪܥܐ .— *vers.* 2. ܘܩܛܠܐ ܒܕܡܐ ܐܬܚܠܛܘ :— *vers.* 3. ܢܬܬܒ ܕܐܒܠܐ ܐܪܥܐ .— *vers.* 4. ܘܥܡܟ ܐܝܟ ܟܗܢܐ ܡܬܚܪ̈ܝܢܐ .— *vers.* 5. a. ܘܬܬܬܩܠ usque ad ܕܥܡܟ .— 5, b. ܘܫܬܩܠ ܐܡܟ .— *vers.* 6. ܘܐܡܣܠܝܢܟ ܘܐܦܣܩܘܢ ܒܡܠܟܐ ܢܛܠܘ .— *vers.* 7. ܡܢ ܒܗܬܬܐ — . *vers.* 9. ܘܗܘܐ ܥܡܐ ܐܝܟ ܟܗܢܐ .— *vers.* 11. totus. — *vers.* 14. ܘܗܢܘܢ usque ad ܐܢܠܐ .— *vers.* 15. ܐܢ ܕܝܢ usque ad ܠܒܝܬ ܐܘܢ .— *vers.* 16. a. ܡܛܠ usque ad ܬܘܪܐ .— 16, b.

ܢܒܥܘܢ ܠܡܪܝܐ ܘܠܕܘܝܕ ܡܠܟܗܘܢ. Cave ne his in verbis Ephraemum a textu Polygl. discrepantem judices.

Cap. IV. *Vers.* 3. ܬܬܒ E. ܬܬܒ — *vers.* 5. Vocem ܡܬܚܪ̈ܝܢܐ ab Ephraemo non lectam autumare posses, attamen explicatio ܥܡ ܚܘܪܐ ܢܬܟܣ̈ܐ ܕܟܗܢܗ ad hanc vocem spectat. Tenendum, Ephraemum saepius explicationem ipsam verbi explicandi loco collocare. e. c. 4, 16. — 5, 7. — *vers.* 6. ܘܐܡܣܠܝܢܟ E. ܘܐܢܐ ܐܡܣܠܝܢܟ .— *vers.* 11. ܘܢܚܡܐ deest apud E. aeque atque apud Hebraeum. — ܢܣܒܗ E. ܢܣܒܗܘܢ — *vers.* 14. ܘܡܟܣܐ E. ܟܡܣܐ — . *vers.* 15. ܬܣܟܠ E. ܬܬܟܠ, quod propius ab Hebraico תֶּעְלַז abest.

ܬܢܚܐ usque ad ܕܒܫܘܠܐ — . vers. 17. ܡܫܬܠܛܢܘܬܗ ܕܥܠܡܐ ܐܦܪܝܡ ÷ vers. 19. integer.

Cap. V. *Vers.* 1, a. Ephr. ܕܟܗܢܐ ܫܡܥܘ ܗܕܐ ܠܒܝܬܐ ܗܘܘ; hujus versus sensum ex parte tantum retulit Ephr. — 1, b. ܘܐܝܟ ܡܨܝܕܬܐ usque ad ܬܒܘܪ — vers. 2. ܘܩܪܝܬܐ usque ad ܟܠܗܘܢ — . vers. 3. ܐܦܪܝܡ ܐܦ ܗܢܐ ܗܘܐ — . vers. 8. a. ܒܓܒܥܬܐ ܒܫܝܦܘܪܐ ܩܪܘ — . 8, b. ܩܠܐ usque ad ܒܢܝܡܝܢ — . vers. 9. Ephraem totius quidem versus sententiam sed non singula verba expressit. — vers. 11. totus, sed non accurate laudatur. — vers. 13, a. ܘܚܙܐ usque ad ܐܦܪܝܡ — . 13, b. ܘܫܕܪ usque ad ܕܢܦܣ — .

Cap. V. *Vers.* 1, b. ܘܐܝܟ ܡܨܝܕܬܐ E. ܘܐܝܟ ܡܨܝܕܬܐ ut apud LXX καὶ ὡς δίκτυον; in commentario ad Jerem. 3, 2. p. 103. eadem verba repetuntur sine additamento ܐܝܟ — *vers.* 2. vide. Comment. in Jerem. 4, 1. — *vers.* 8, a. ܩܪܘ E ܩܠܐ et hoc melius, Hebraeus enim habet הִקְעוּ Mutabatur ܩܠܐ in ܩܪܘ, ut repetitio ejusdem vocis in eodem versu vitaretur. — 8, b. ܒܢܝܡܝܢ E. ܒܢܝܡܝܢ. — *vers.* 11. Pro ܕܟܘܠܗ ܕܝܢܐ ܕܠܒܬܪ ܨܒܝܢܐ apud Ephraemum legitur ܕܝܢܐ ܕܠܐ ܟܠ — . *vers.* 13, b. ܕܢܦܣ E. ܕܢܦܣ. —

Cap. VI. *Vers.* 1. ܢܗܦܘܟ usque ad ܢܐܣܐ —. *vers.* 2. ܘܒܝܘܡܐ usque ad ܕܢܩܘܡ —. *vers.* 3, a. ܘܢܕܥ usque ad ܡܫܟܚܝܢܗ —. 3, b. ܐܝܟ ܡܛܪܐ ܘܐܝܟ ܦܪܥܝܢܐ —. *vers.* 5. ܦܣܩܬ usque ad ܢܒܝܘܗܝ —. *vers.* 6. totus. — *vers.* 8. ܓܠܥܕ usque ad ܥܘܠܐ —. *vers.* 9. ܐܬܚܒܪܘ usque ad ܠܫܟܡ —. *vers.* 10. ܚܙܝܬ usque ad ܐܝܣܪܐܝܠ —. *vers.* 11. ܘܐܦ ܝܗܘܕܐ ܩܘܡ ܠܟ ܚܨܕܐ —.

Cap. VI. *Vers.* 1. ܬܐܠܘ omisit E. — *vers.* 3, a. ܘܢܕܥ E. ܕܢܕܥ —. *vers.* 5. ܦܣܩܬ et ܩܛܠܬ Ephr. ܦܣܩܬ et ܩܛܠܬ, quod rectius. — ܢܒܝܐ E. ܢܒܝܐ — *vers.* 6. ܘܠܐ E. ܡܛܠ ܕ ita LXX ἤ. *vers.* 8. ܩܪܝܬܐ ܕܥܒܕܝ ܥܘܠܐ E. ܩܪܝܬܐ ܕܥܒܕܝ ܥܘܠܐ. vide Ephr. *comment. in Ezech.* 16, 52. — ܘܐܘܪܚܐ E. ܥܘܠܐ, quod emendationem redolet. Explicat enim Ephraem: ܐܬܚܒܪܘ .. ܠܡܩܛܠ ܠܐܘܪܚܐ ܕܐܙܠܝܢ ܠܗܝܟܠܗ ܕܡܪܝܐ ܒܐܘܪܫܠܡ i. e. *sese jungunt ut interficiant viatores ad templum Jehovae Hierosolymis tendentes.* Hinc Ephraemum legisse ܘܐܘܪܚܐ satis liquet — *vers.* 10. Post ܐܝܣܪܐܝܠ Ephr. addit ܟܠܗ —. *vers.* 11. Offenderat me olim haec Syri versio, quam e Vulgata translatam opinabar. Rem non ita se habere probat Ephraem; sed vocalium signa mutanda erunt.

Cap. VII. *Vers.* 1. totus. — *vers.* 3. ܒܟܢܘܫܬܗܘܢ usque ad ܠܡܠܟܐ ― . *vers.* 4. totus. — *vers.* 5. ܢܦܩܐ usque ad ܢܡܣܪܐ. ―

Ephraemum non ܒܟܡ pronuntiasse, sensus, quem his verbis tribuit, prodit. Nam explicuit: *quia in reditu hostes suos exstinguent.* Legit igitur ܒܟܡ et subintellexit ܐܟܘܬܗ. —

Cap. VII. *Vers.* 1. ܠܕܪܝܘܫ E. ܐܕܪܝܘܫ. ― ܒܟܣܠܘܗ E. ܒܟܣܠܐ —. *vers.* 3. ܠܡܠܟܐ. Jam supra docuimus, Ephraemum, utrum pro singulari an plurali habendum sit, dubitasse. ܠܡܠܟܐ legendum textus Hebraicus suadet. Habent quidem etiam LXX *βασιλεῖς*, sed falso. מֶלֶךְ Hebraei idem est quod הַמֶּלֶךְ cf. Gesenius: *Lehrgebäude* p. 652. Quum Graeci *βασιλεύς* sine articulo de Persarum plerumque rege dicerent (V. Heindorf: *Platonis dialogi selecti.* vol. 3. p. 309. — Matthiae: *Griechische Grammatik.* edit. 2. p. 545.) *βασιλέα*, quod *Edit. Compl.* exhibet, eos offendisse necesse est. Aut igitur vertendum erat *τὸν βασιλέα*, ut Psal. 21, 2. et saepius factum, aut *βασιλεῖς*; sed illud solum (*τὸν βασιλέα*) hoc loco admittendum fuisset. — *vers.* 4. Ante ܢܒܟܐ E. inseruit ܡܒܟܐ ܗܪܟܐ; Chald. בְּכֵן —. ܡܟܝܠܐ E. ܡܟܝܠܗܘܢ. Ita quoque Chaldaeus. — ܒܨܘܡܐ E. ܒܨܘܡܐ ―. ܠܐܢܫ E. ܒܐܢܫ recte. — *vers.* 5. ܨܡܬܘܢ E. ܨܡܬܘܢ

vers. 6. ܘܡܠܟܗ usque ad ܕܥܡܗܘܢ —. *vers.* 8. totus. — *vers.* 9. ܘܡܣܝܪܬܐ usque ad ܠܝܛ —. *vers.* 11. ܘܗܘܐ usque ad ܟܬܒܐ —. *vers.* 12, a. ܠܐ ܬܪ usque ad ܡܬܒܣܪ —. 12, b. ܘܐܪܙܐ usque ad ܕܡܫܪܘܬܗܘܢ —. *vers.* 16. ܗܘܐܠܗܐ usque ad ܕܡܪܚܡ —.

Cap. VIII. *Vers.* 1. ܦܘܩܕܢ usque ad ܕܦܩܕܬܐ —. *vers.* 4. ܐܘܟܠܟܘ usque ad ܐܘܪܚܬܟ —. *vers.* 7. ܡܠܟܐ usque ad ܡܡܠܟܐ —. *vers.* 8. ܘܡܚܫܠܐ usque ad ܢܦܫܗ —. *vers.* 9. ܐܝܟ ܚܙܘܐ ܕܡܬܚܙܝܐ —. *vers.* 10. totus. —

Cap. IX. *Vers.* 1 et 2. Elegit ex his versibus Ephraem quae sequuntur: ܠܐ ܬܚܝܪ ܐܡܫܬܐ —. b. ܕܚܝܠܐ ܡܢ ܐܠܗܝܢ —. c. ܘܡܢ ܐܪܙܐ ܡܢ ܘܡܢ

recte. — ܘܪܘܚܢܐ E. ܘܪܘܚܢܝ —. *vers.* 6. ܦܠܛܗ E. ܠܦܠܛܗ, quam lectionem etiam explicatio confirmat. — *vers.* 8. ܡܣܝܪܬܐ ܗܘܐ ܐܬܢܨܚ E. ܐܝܟ ܘܗܘܬ ܡܣܝܪܬܐ —. *vers.* 12, a. ܠܐ ܬܪ E. ܠܐ ܬܪܐ —.

Cap. VIII. *Vers.* 1. Praeteriit Ephr. ܘܐܝܟ ܢܦܫܐ — vers. 4. ܘܐܦܠܓܠܓܠܘ Ephr. ܐܦܠܓܠܓܠܘ — vers. 7. ܘܡܠܟܠܟܠܐ ܢܣܒܘ praeteriit E. — ܘܐܦܠܐ E. ܐܦܠܐ —. *vers.* 8. ܘܡܚܫܠܐ ܗܘܘ E. ܘܗܘܘ —.

Cap. IX. *Vers.* 1 et 2 c. ܘܡܢ E. ܡܢ Deest

ܢܬܚܟܡܘܢ ܠܐ ܕܡܫܬܘܬܦܐ —. vers. 4, a. ܠܐ usque ad ܢܡܘܬܐ — 4, b. ܐܝܟ usque ad ܢܬܚܫܒܘܢ — 4, c. ܡܛܠ usque ad ܕܡܝܬܐ —. vers. 6. ܘܡܪܕܝܢ usque ad ܐܢܘܢ ܬܢܚܡܘܢ —. vers. 7, a. ܬܐ usque ad ܡܛܠ —. 7, b. ܕܠܒܣܡܐ ܗܘ ܡܘܬܐ —. 7, c. ܡܢ ܫܡܝܐ usque ad ܡܬܝܗܒ —. vers. 8. ܢܗܘܘܢ usque ad ܢܚܣܪ —. vers. 9. ܚܙܝܘ usque ad ܕܝܗܒܐ —. vers. 10. ܐܝܟ ܚܝܠܟ usque ad ܠܫܝܘܠ —. vers. 11. ܐܝܟ ܕܪܗܛܐ usque ad ܠܓܢܒܪܐ —. vers. 12. ܐܦܠܐ ܐܝܟ ܡܢ ܕܢܦܠܐ —.

Cap. X. Vers. 1. ܠܒܣܡܐ usque ad ܐܦܝܣܘ —. vers. 4. ܫܘܚܡܘ usque ad ܪܒܐ —. vers. 8.

particula *et* etiam apud Hebraeum, Alexandrinos et Chaldaeum —. ܘܡܫܬܘܬܦܐ E. ܡܫܬܘܬܦܐ ܘܡܢ —. vers. 4, b. ܠܗܘܢ E. ܠܗܝܢ — 4, c. ܡܛܠܐ ܕܠܡܝܬܐ E. ܘܠܡܝܬܐ —. vers. 6, a. ܘܡܪܕܝܢ E. ܡܪܕܝܢ sic etiam textus Hebr. — ܬܢܚܡܘܢ et ܘܬܬܚܡܘܢ E. ܬܢܚܡܘܢ et ܬܬܚܡܘܢ — vers. 7, b. ܗܘ E. ܗܘܐ —. vers. 10. ܠܬܡܢ E. ܠܬܡܢ —. ܡܛܠܐ ܠܗܘ E. ܠܗܘܢ cf. *Deut.* 3, 29; in explicatione autem legitur ܠܗܘ ܗܘ —.

Cap. X. Vers. 1. ܐܦܝܣܘ E. ܐܦܝܣܘܗܝ haud tamen inde collegerim Ephr. ita legisse. — vers. 4. ܘܫܪܐ E. ܘܫܪܝܗ. Confirmat explicatio hanc lectionis varietatem. — vers. 8. ܕܢܟܬܒ ܒܠܫܢܘܗܝ E.

ܘܬܐܡܪܘܢ usque ad ܒܠܒܗܘܢ — . *vers.* 11. totus. — *vers.* 12. ܙܪܥܘ usque ad ܕܙܕܝܩܘܬܐ — . *vers.* 13. inde a verbo ܬܟܠܬ usque ad finem, sed negligenter. — *vers.* 14. ܢܩܘܡ usque ad ܐܝܟ —. *vers.* 15. ܗܟܢܐ usque ad ܒܝܫܘܬܟܘܢ — .

ܕܥܡܟ ܒܥܡܟ sic textus Hebr. et LXX. — *vers.* 14. Verbo ܕܫܠܡܢܐ *Ephraem* significationem *pacifice*, *tranquille* tribuit; nam explicuit: ܗ ܚܠܦ ܦܘܠܚܢ ܕܓܠܦܐ ܒܝܬ ܐܝܠ ܘܠܐ ܢܗܘܐ ܒܗ ܪܘܓܙܐ ܕܬܟܬܘܫܐ ܐܝܟ ܕܒܥܠܕܒܒܐ ܠܐ ܢܗܘܐ *quod significat: propter idolorum cultum Betheli. Et in ea non erit belli tumultus, quia non erit hostis.* Sed statim excipit hanc explicationem alia haec: ܐܝܟ ܒܙܬܐ ܗܝ ܕܫܠܡܢܐ ܪܝܫܐ ܡܢ ܒܝܬܐ ܕܝܪܒܥܠ ܕܒܝܘܡܐ ܕܩܪܒܐ ܐܡܐ ܥܡ ܒܢܝܐ ܕܝܠܗ ܪܛܫܘ . ܗ ܐܡܐ ܥܡ ܒܢܝܗ ܩܛܠܘ ܀ i. e. *ut direptio illa Salmanae, principis e domo Jerobaali; pugnae die matrem cum filiis ejus collidunt; i. e. matrem cum filiis ejus interficiunt.* Diversam omnino ab illa hujus versus, in quo interpretando multum vexati sunt interpretes, sequitur haec explicatio versionem, quam e textu Hebraico et versione Alexandrina compositam putamus. Cod. Al. ὡς ἄρχων Σαλαμὰν ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ Ἱεροβαάλ, ἐν ἡμέραις πολέμου μητέρα ἐπὶ τέκνοις ἠδάφισαν. — Explicationis causa addita verba ܗ ܐܡܐ ܥܡ ܒܢܝܗ ܩܛܠܘ cum textu Syriaco Polygll. consentiunt, nisi quod

CAP. XI. *Vers.* 1. totus. — *vers.* 2. totus. — *vers.* 3. ܘܐܢܐ usque ad ܕܒܢ̈ܝܢ — . *vers.* 4. ܒܚܒܠܐ usque ad ܕܡܫܡܠܬܐ —. *vers.* 6. ܢܠܒܕܘܗ ܣܝܦܐ ܒܡܕܝܢ̈ܬܗܘܢ ܘܬܫܠܡ ܡܢ ܐܝ̈ܕܝܗܘܢ ܘܢܐܟܘܠ ܡܢ ܬܪ̈ܥܝܬܗܘܢ —. *vers.* 8, a. ܐܝܟܢܐ usque ad

Ephraem ܥܡܟ pro ܥܠܝ habet. Addita nostra ex sententia haec explicatio, ad explicandum verbum ܐܬܪܛܫܘ, quod, Hebraico רְטֻשָׁה accomodatum, Syris non vulgare fuisse videtur. — Ultima haec verba a seriore manu addita censemus. — *vers.* 15. ܥܒܕܘ E. ܥܒܕ ut apud Hebraeum.

CAP. XI. *Vers.* 1. ܗܘܐ E. ܗܘ —. *vers.* 2. ܐܢܘܢ deest. — ܗܕܒܚܐ E. ܘܗܕܒܚܐ —. ܘܦܬ̈ܟܪܐ E. ܘܠܦܬ̈ܟܪܐ recte. — *vers.* 3. ܐܢܘܢ ܘܫܩܠܬ E. ܘܫܩܠܬܗ sic LXX —. *vers.* 4. ܒܫܘܫܠܬܐ E. ܒܫܘܫ̈ܠܬܐ —. *vers.* 6. Refert EPHR. hunc versum in hunc modum: ܢܠܒܕܘܗ ܣܝܦܐ ܒܡܕܝܢ̈ܬܐ ܕܓܒܪܘܬܗܘܢ ܘܢܐܟܠܘܢ ܡܢ ܬܪ̈ܥܝܬܗܘܢ: *infirmabitur gladius in urbibus fortitudinis eorum (i. e. in oppidis eorum munitis) et comedent consilia sua.* In hac Syriaca versione suffixum vocis בְּעָרָיו et vocem וְכִלְּתָה non expressam videmus. Porro בַּדָּיו quod in textu Polygl., praeeuntibus Alexandrinis ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, versum legimus ܡܢ ܐܝ̈ܕܝܗܘܢ, id esset מִיָּדָם, apud Ephraemum translatum invenimus ܕܓܒܪܘܬܗܘܢ quod cum Chaldaeo facit, qui habet גִּבָּרוֹהִי. —

ܐܦܪܝܡ —. 8, b. ܐܝܟ usque ad ܨܒܘܝܡ —. vers. 9. totus. — *vers.* 10. ܒܬܪ usque ad ܕܝܘܡܢ —. *vers.* 11, a. ܐܝܟ ܨܦܪܐ —. 11, b. ܘܐܝܟ ܝܘܢܐ —.

Cap. XII. *Vers.* 1. ܐܚܕܪܢܝ usque ad ܒܟܕܒܘܬܐ —. *vers.* 2, a. ܐܦܪܝܡ usque ad ܠܟܠܝܠܐ —. 2, b. ܘܩܝܡܘ usque ad ܘܡܫܚܐ —. *vers.* 4. ܒܡܪܒܥܐ usque ad ܠܐܠܗܐ —. *vers.* 5. ܘܐܬܚܝܠ ܥܡ ܡܠܐܟܐ —. *vers.* 8. ܡܣܐܬܐ usque ad ܢܥܫܘܩ —. *vers.* 11. ܘܐܢܐ usque ad ܐܬܕܡܝܬ —. *vers.* 12.

Cap. XII. *Vers.* 1, ܘܒܢܟܠܐ ܐܝܣܪܐܝܠ ܕܒܝܬ E. ܐܝܣܪܐܝܠ ܕܒܝܬ ܥܡܝ ܒܢܟܠܐ ܕܒܝܬ —. *vers.* 2, b. ܩܝܡܘܗܝ E. ܩܝܡܘܗ ita quoque LXX. — ܘܡܫܚܐ E. ܘܡܫܚܐ, quod tam cum textu Hebraico quam cum versione LXX. congruit. — *vers.* 5. E. ܡܠܐܟܐ ܘܚܝܠ ܐܬܚܝܠ. Tam apud Ephraemum quam in Bibliis polygll. verba textus Hebraici וַיָּשַׂר et בָּכָה omissa videmus. Cave, ne ܥܡ peculiari textus Hebraici verbo respondere opineris; Syri verbum ܚܝܠ cum ܥܡ construere solent. Vide Schaaf: *Lexicon Syriacum* p. 325 s. v. ܚܝܠ —. *vers.* 11. ܡܠܠܬ ܥܡ ܢܒܝܐ E. ܐܬܒܝܢܬ ܐܬܡܠܠܬ —. *vers.* 12. ܬܘܪܐ et ܕܐܕܪܐ desiderantur apud *Ephr.* — Hebraicum

totus. — *vers.* 13. Sensum potius quam singula verba repetiit.

Cap. XIII. *Vers.* 1. ܟܕ usque ad ܗܘܐ —. *vers.* 2. ܘܐܘܣܦܘ usque ad ܚܪܫܐ —. *vers.* 4. ܐܢܐ usque ad ܕܡܨܪܝܢ —. *vers.* 5. ܐܢܐ usque ad ܨܗܝܐ —. *vers.* 8. ܐܦܓܘܥ usque ad ܕܠܒܗܘܢ —. *vers.* 10. ܐܝܟܘ ܗܘ ܡܠܟܟ —. *vers.* 11. ܘܕܒܪܬܗ ܒܚܡܬܝ —. *vers.* 12. totus. — *vers.* 14. totus. — *vers.* 15. sensum tantum retulit. E. —

Cap. XIV. *Vers.* 1. ܬܬܚܝܒ usque ad ܠܐܠܗܗ —. *vers.* 3. ܬܘܒ ܠܥܒܕܐ ܕܐܝܕܝܢ —.

כַּגַּלִּים, LXX χελῶναι, retinuit Peschito ܓܠܠܐ seu rectius ܓܠ̈ܠܐ. Ephraem autem hoc vocabulum nequaquam de testudinibus intellexit, sed de *festucis agrorum*. Interpretatus est enim: ܐܝܟ ܕܝܒܝܫܝܢ ܘܡܫܬܒܩܝܢ ܓܠ̈ܠܐ ܒܚܩܠܬܐ *quemadmodum aridae et neglectae festucae in arvis.* cf. Ps. 37, 2.

Cap. XIII. *Vers.* 4. ܕܡܨܪܝܢ ܐܪܥܐ ܡܢ E. ܡܢ ܡܨܪܝܢ —. *vers.* 5. ܐܢܐ ܝܕܥܬܟ E. ܘܝܕܥܬܟ —. *vers.* 11. E. ܘܕܒܪܬܗ ܒܚܡܬܝ —. *vers.* 14. Deest ܡܘܬܐ apud *Ephr.* Ita quoque in textu Hebraico et versione Alexandrina. —

Cap. XIV. *Vers.* 3. ܥܒܕܐ E. ܥܒܕܐ, quod interpretatus est: ܗܘ ܕܥܒܕ ܐܝܕܝܢ, unde de hujus le-

vers. 5. totus. — *vers.* 7. ܘܢܫܩܘܢ ܠܟܘܡܪܐ —. *vers.* 8. ܘܢܠܒܫܘܢ ܒܬܠܠܝܗ —. *vers.* 9. ܘܐܡܪ usque ad ܠܡܚܒܠܘ —. *vers.* 10, a. ܡܢܘ usque ad ܢܚܠܐ —. 10, b. ܕܠܐ ܢܫܬܪܐ usque ad finem.

ctionis veritate dubitare licet. — *vers.* 5. ܘܢܗܦܟܘܢ E. ܘܐܗܦܟܘܢ. Sic quoque *Cod. Al.* ἀποστρέψω. — *vers.* 9. ܐܢܐ primo loco apud Ephr. deest. — ܠܡܚܒܠܘ E. ܠܡܚܒܠܘܬܐ —.

§. 12.

In Hoseae textum Syriacum emendationes.

Cap. I. 1. ܐܘܫܥ scribe ܗܘܫܥ cf. §. 13. 1.

— 3. Lege ܘܢܣܒܬ ܠܝ quod Ephraem offert; quamvis textus lectio ܘܢܣܒ ܠܗ, cum Hebraeo et LXX accuratius consentit: וַיִּקַּח; LXX καὶ ἔλαβε. —

— ܠܗ ܒܪܐ corrige in ܠܝ ܒܪܐ, quamvis Hebraeus לוֹ בֵּן et LXX αὐτῷ υἱόν habent.

— 4. ܘܐܡܪ ܠܗ lege ܘܐܡܪ ܠܝ. Hebr. וַיֹּאמֶר אֵלָיו. LXX καὶ εἶπε πρὸς αὐτόν. Praeferimus his locis primam personam, contra textus Hebraici auctoritatem, eam ob causam quod duo ejusdem ab Hebraeo discrepantiae adhuc obvia loca (nostri capitis verss. 6 et 9), ubi pro Hebraico לוֹ Syrus habet

ܟܠ, has Ephraemi lectiones genuinas nobis suadent. Videtur versionis Syriacae auctor paraphrasin Chaldaicam quandam, quae non ad nos pervenit, secutus esse.

CAP. I. 4. ܐܕܢܟܠܐ corrige in ܐܕܢܟܠܐ cf. verss. 5 et 11.

— 7. ܠܐ ܚܡܫܬܐ lege cum EPHR. ܘܠܐ ܚܡܫܬܐ; neque aliter *Hebraeus*.

— 10. ܘܠܐ ܢܗܘܐ lege ܘܠܐ ܢܗܘܐ cum *Codd.* POCOCK. et CANTAB. — *Hebr.* וְהָיָה cf. EPHRAEMUM ad AMOS 6, 2; ubi ܠܐ et ܐܝ etiam permutantur.

CAP. II. 15. ܚܡܘܟܘܡܐ lege cum EPHR. ܘܚܡܘܟܘܡܐ *Hebr.* וְאֶת־עֵמֶק. —

CAP. III. 1. ܕܚܡܫܐ *macerata*, lege ܕܚܡܫܐ *placentae dulces.* cf. §. 13.

CAP. IV. 5. Pro ܫܬܩܬ conticuit, lege ܫܬܩܬ *Hebr.* דָּמִיתִי.

— 11. Dele cum EPHRAEMO ܘܢܫܡܗ; deest enim apud *Hebraeum.*

— 14. ܫܡܗܐ lege ܫܡܗܐ; sequitur Syrus *Chaldaeum*, qui habet בְּרָא. —

— 15. ܙܡܡܢ EPHR. ܙܟܟܝܢ quod praeferendum; *Hebraeus* enim habet חַיְלוֹ. —

CAP. V. 1. ܠܕܘܩܐ *speculatoribus*, lege ܠܕܘܩܐ *speculae.* *Hebr.* לְמִצְפָּה; sed sequitur Syrus LXX, qui verterunt σκοπιᾳ.

Cap. V. 8. Pro ܣܘܦ lege cum Ephraemo ܣܟܐ. *Hebraeus* חקער.

Cap. VII. 1. ܒܫܘܩܐ lege ܒܫܘܩܐ. *Hebr.* בחוץ. —

— 3. ܠܡܠܠܬܐ lege ܠܡܠܠܬܐ. *Hebr.* מַלָּךְ. —

— 4. ܠܐܢܫ corrige in ܠܐܢܫ. Sic Ephraem. Sono deceptus fuisse videtur scriba. —

— ibid. ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ Ephraem ܡܢ ܡܕܝܢܬܗܘܢ. *Hebraeus* מֵעִיר. Hanc ambiguae interpretationis vocem LXX vertunt ἀπὸ τῆς φλογός. *Vulgata.* paululum civitas. *Versio* Quinta. πρὸς ὀλίγον ἡ πόλις. *Chaldaeus* מִקִרְוַיהוֹן. Hinc Ephraemi lectio nobis praeferenda videtur.

— 5. ܦܪܘܫ leg. ܦܪܘܫ

— 6. ܫܠܡ (*quiescit*); Ephraem et *codd. Angl.* ܟܠܡ (*durat*); *Hebr.* יָשֵׁן; *Vulg. dormivit. Chald.* מוֹרִיךְ (*durat*), unde commendatur Ephraemi lectio.

Cap. VIII. 4. ܘܐܫܬܠܡܘ lege cum Ephr. ܐܫܬܠܡܘ *Hebr.* הֵשִׁירוּ.

Cap. IX. 2. ܘܡܢ lege ܡܢ. Sic *Ephraem* et *Hebraeus.*

— 6. ܘܡܙܝܥ lege cum *Ephr.* et *Hebr.* ܡܙܝܥ —.

— ibid. Pro Hebraico קימוש apud Syrum legitur ܢܘܟܪܝܐ (*alieni*), quod in ܢܘܟܪܝܐ vel

simile ejusdem radicis verbum corrigendum conjicio. Radix enim ܢܒܙ, aeque atque Arabum نبز, de rebus usurpatur, quae tactae tumorem vel inflammationem excitant, quod bene in urticas cadit [1]).

Cap. IX. 14. ܚܙܝܬܝ *vidisti*, leg. ܚܙܝܬ *vidi*. רָאִיתִי.

— X. 5. Lege ܠܥܓܠܐ pro ܠܥܓܠܐ *Hebr.* לְעֶגְלוֹת.

— 13. ܚܪܫܬܘܢ *e codice Usserii* corrigendum in ܟܪܝܬܘܢ *Hebr.* חֲרַשְׁתֶּם.

— 15. ܥܒܕܘ lege cum *Ephr.* ܥܒܕ *Hebr.* עָשָׂה.

Cap. XI. 2. ܠܡܥܠܢܐ lege ܠܒܥܠܢܐ *Hebr.* לַבְּעָלִים.

— 6. בְּבַדָּיו vertunt LXX ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, ad quos accedit *Syrus* ܒܐܝܕܝܗܘܢ: sed apud Ephraemum legimus ܒܓܢܒܪܘܬܗܘܢ, quod nobis genuinum videtur, quia *Chaldaeus* eodem modo גִּבָּרוֹהִי vertit.

— 10. ܡܢ ܟܡܐ lege ܡܢ ܡܝܐ. *Hebr.* מַיִם —.

[1]) Idem alibi herbae Borith accidisse observavi. Maleach. 3, 2. pro Hebraico וּכְבֹרִית (et *quemadmodum herba Borith*) in Syriaco legitur ܘܐܝܟ ܟܒܪܝܬܐ (*et ut sulphur*), quod mutandum in ܘܐܝܟ ܒܪܝܬ *et ut Borith.* Hunc errorem Ephraemi aetatem superare, ex ejus commentariis intelleximus. cf. Michaelis: de nitro Hebraeorum. Commentationes. Bremae 1774. p. 152.

— 11. ܢܘܢܐ lege ܝܘܢܐ *Hebr.* יוֹנָה —.

Cap. XII. 2. ܐܘܟܠܗ lege cum *Ephraemo* ܐܘܟܠܐ. Sic *Hebr.* et LXX.

— — ܘܪܕܦ lege ܘܪܕܦ *Hebr.* וְרֹדֵף —.

— 11. Lege ܚܙܘܢܐ pro ܚܙܘܢ cum *Ephr. Hebr.* חָזוֹן.

— 12. ܟܐܒܐ lege ܟܐܒܐ *Hebr.* אָוֶן —.

Cap. XIII. 2. ܘܥܓܠܐ lege ܘܥܓܠܐ *Hebr.* עֲגָלִים —.

— 8. ܕܒܐ ܬܟܘܠܬܐ lege ܕܒܐ ܬܟܘܠܬܐ.

— 14. ܗܟܝܠ Dele; deest enim apud *Ephraemum, Hebraeum* et LXX.

Cap. XIV. 4. ܢܬܡܐ lege ܝܬܡܐ *Hebr.* יָתוֹם —.

§. 13.

Quomodo versionis Peschito auctor in interpretando textu Hebraico se gesserit?

Versionem Peschito textum Hebraicum ducem sequi eo confirmatur, quod ejus auctorem id, ut, quantum fieri posset, eodem atque in textu Hebraico verbo uteretur, spectasse omnino apparet; cujus quidem rei exempla ubique obvia adjicientes, munus inutile subiremus. Stabilitur porro haec sententia peculiari interpretandi ratione, quam Syrus haud paucis in locis tuetur. Exempla proponimus haec: 1, 6. כי-נשא אשא להם. LXX. ἤ ἀντιτασσόμενος ἀντι-

τάξομαι αὐτοῖς. -*Chald.* בְּרַם אִם יְתוּבוּן מִשְׁבַּק אֱשְׁבּוֹק לְהוֹן *attamen si convertentur condonando condonabo eis.* — *Syr.* ܐܠܐ ܡܫܩܠ ܡܫܩܠ ܐܢܐ ܠܗܘܢ *sed auferendo auferam eis;* ad quod proxime accedit *Arabs:* لكني مبعد ابعدهم —. 7, 12. לעדתם LXX, quos sequitur. *Arabs: τῆς θλίψεως αὐτῶν,* ac si legissent לענתם. *Aquila: τῆς συναγωγῆς. Sym. τῆς μαρτυρίας. Vulg. coetus eorum. Chald.* לעצתהון. *Syr.* ܕܣܗܕܘܬܗܘܢ *testimonia eorum* a substantivo עֵדָה —. 7, 14. יתגוררו. LXX *κατετέμνοντο;* a גרר. *Vulg. ruminabant;* a גרר. *Chald.* דַּהֲווֹ כָּנְשִׁין *quae collegerant. Syr.* ܡܙܕܥܙܥܝܢ *paventes;* a גור —. 9, 10 וַיִּנָּזְרוּ לַבֹּשֶׁת. *Syrus* recte: ܘܐܬܢܙܪܘ ܠܒܗܬܬܐ *et se consecrarunt deo turpi* [1]). LXX. *καὶ ἀπηλλοτριώθησαν εἰς αἰσχύνην. Vulg. et abalienati sunt in confusionem. Chald.* וּטְעוֹ לְבַהֲתָא *et sectantur turpitudinem.* —. 10, 11. אֹהַבְתִּי לָדוּשׁ. LXX. *ἀγαπᾶν νεῖκος. Syr.* ܪܚܡܬܐ ܠܡܕܪܟܗ *amans triturare.* cf. GESENIUS: *Lehrgeb.* p. 547. —. 11, 7. וְעַמִּי תְלוּאִים. *Syrus,* adhibitis iisdem atque in textu Hebraico verbis: ܘܥܡܝ ܬܠܐ: *Chald.* וְעַמִּי פְּלִיגִין, quod ad sensum plane idem. LXX. *καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπικρεμάμενος;* legerunt igitur עַמּוֹ pro עַמִּי —. 9, 12. בְּשׂוּרִי מֵהֶם. LXX. *σάρξ μου ἐξ αὐτῶν. Aqu. ἐκκλί-*

[1]) Bene hoc explicuit Ephraem. ܒܗܬܬܐ ܡܫܡܗܗ ܠܦܬܟܪܐ ܕܫܝܛ ܘܡܣܪܝ ܗܘ *Bohet est nomen idoli admodum turpis et tetri.*

ναντός μου ἀπ' αὐτῶν. Theod. vae eis, cum recessero ab eis. Chald. בְּסַלָּקוּתִי שְׁכִנְתִּי מִנְּהוֹן *si aufero majestatem meam ab iis. Syr.* ܡܬܦܪܥ ܐ̱ܢܐ ܡܢܗܘܢ *poenas ab iis sumens.* — 9, 13. אפרים כאשר־ראיתי לצור שתולה בנוה. *Syr.* ܐܦܪܝܡ ܐܝܟ ܕܚܙܝܬ ܠܨܘܪ ܫܬܝܠܐ ܒܒܢܝܢܗ *Ephraim, quemadmodum vidi Tyrum consitam aedificiis suis.* LXX. Ἐφραΐμ ὃν τρόπον εἶδον, εἰς θήραν παρέστησαν τὰ τέκνα αὐτῶν. *Aq.* et *Sym.* ὡς ἀκρότομον πεφυτευμένην ἐν κατοικίᾳ. *Theod.* εἰς πέτραν πεφυτευμένοι οἱ υἱοὶ αὐτῆς. *Chald.* כְּנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל בְּמֶעְבְּדָהּ אוֹרַיְתָא דָמְיָא לְצוֹר בְּאַצְלָחוּתָא בְשַׁלְוַיְתָהּ. *Quam diu regnum Israel legem implevit, similis erat Tyro felicitate atque abundantia. Vulg. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine* —. 10, 12. קצרו לפי חסד LXX. (*Cod. Barb.* θερίσατε) εἰς καρπὸν ζωῆς. *Vulg. et metite in ore misericordiae. Syr.* ܘܚܨܘܕܘ ܦܘܡܗ ܕܛܝܒܘܬܐ *et metite os gratiae* —. 11, 4. ואט אליו אוכיל. LXX. καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτὸν, δυνήσομαι αὐτῷ (= ואט אליו אוכל לו). *Syr.* ܘܐܪܦܝܬ ܠܗܘܢ ܘܐܟܠܘ *et remisi iis (frena) et ederunt. Chald.* וּמוֹרִיךְ בְּלַחְיָתְהוֹן — לְמֵיכַל — *et relaxat maxillis eorum (frena) — ut vescerentur,* —. ibid. בְּחַבְלֵי אָדָם. *Syr.* ܒܚܒܠܐ ܕܒܢܝܢܫܐ. LXX. ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων. *Chald.* בִּמְגְרַת בְּנִין רְחִימִין *secundum tractum filiorum dilectorum. Aq. Sym. Theod. in funiculis hominum.* — 12, 5. וישר אל מלאך ויכל בכה ויתחנן־לו. LXX. καὶ

ἐνίσχυσε μετὰ ἀγγέλου, καὶ ἠδυνάσθη· ἔκλαυσαν καὶ ἐδεήθησάν μου. Aqu. Sym. Theod. ἔκλαυσε καὶ ἐδεήθη αὐτοῦ. Vulg. Et invaluit ad angelum et confortatus est; flevit et rogavit eum. Syr. ܘܐܬܥܫܢ ܥܡ ܡܠܐܟܐ ܘܒܟܐ ܘܒܥܐ ܡܢܗ *et superatus est angelum et deprecatus est eum. Chald.* ואתרברב עם מלאכא ויכיל בכה ובעא מניה *praevaluit angelo et vicit; flevit et deprecatus est eum.* — 13, 6. 14, 3. 4. 8 etc. —

Hisce omnino praemissis, singula perscrutando, accuratius versionis nostrae indolem exponere licebit.

1) Nomina propria, tam hominum quam urbium et terrarum, plerumque immutata servavit Peschito. e. c. דויד *Syr.* ܕܘܝܕ —. הושע *Syr.* ܗܘܫܥ —. יותם *Syr.* ܝܘܬܡ — אפרים *Syr.* ܐܦܪܝܡ —. גלעד *Syr.* ܓܠܥܕ — גלגל *Syr.* ܓܠܓܠ etc. Discriminis aliquid, licet plerumque parvi momenti, inter Syrum et Hebraeum in nominibus observavimus his: יהודה, quod apud Syros mox ܐܝܗܘܕܐ mox ܝܗܘܕܐ scribitur [1]), in Hoseae versione legitur sine Olaph ܝܗܘܕܐ cf. 1, 7, 11. — 5, 5, 10, 13, 14. — 6, 4, 11. — 10, 11. — 12, 1 etc. Tantummodo Hosea 1, 1 occurrit ܐܝܗܘܕܐ, quod in ܝܗܘܕܐ mutandum videtur, cum ita scriptum reperiatur apud Ephraemum, ubi hunc laudavit locum. — ישראל et יזרעאל apud

[1]) Michaelis: grammat. Syr. p. 10. — Hirzel: l. l. p. 99, —

Syrum scribuntur ܐܝܙܪܥܠ et ܐܝܙܪܥܝܠ 1, 1, 4, 5, 11 etc. — עכור *Syr.* ܥܟܘܪ 2, 15. — לבנון *Syr.* ܠܒܢܢ 14, 6, 8. — עֻזִּיָּה *Syr.* ܥܘܙܝܐ 1. 1. — Pro בְּאֵרִי 1, 1. *Syrus* habet ܒܝܪܝ, et pro יֵהוּא 1, 4. ܝܗܘ sine Olaph. — יָרָבְעָם *Syro* audit ܝܘܪܒܥܡ 1, 4. — יחזקיה *Syr.* ܚܙܩܝܐ 1, 1. — בית אל *Syr.* ܒܝܬ ܐܝܠ 12, 5. — מֹף 9, 6. apud *Syrum* sonat ܡܦܣ. — שכמה 6, 9. *Syr.* ܫܟܝܡ — שׁמרון *Syr.* ܫܡܪܝܢ 7, 1. — 8, 5, 6. — 10, 5, 6 etc. — Pro בית ארבאל *Syrus* habet ܒܝܬ ܐܝܠ 10, 14; et גִּבְעָה semper versum legimus ܪܡܬܐ; eodem verbo utitur *Syrus* pro Hebraico רמה cf. 5, 8. Versionis Peschito auctorem utrique voci constanter significationem *mons, collis*, tribuisse conjicere possis [1]); attamen *Hosea* 9, 6 Ephraem Syrus ܪܡܬܐ de *Gibeah* oppido interpretatus est (ܒܡܕܝܢܬܐ ܐܡܬܪܘܗܝ ܕܪܡܬܐ ܒܡܦܩܢܘܬܗ. etc.); ratione eorum habita, quae in libro Judicum capp. 19 et 20 de Gibeah oppido narrantur; quamvis, dubius haerens, alteram de sacrificiis in montibus adjecerit explicationem. — 10, 14. שׁלמן *Syrus* vitiose ܫܠܡܐ —. 5, 1. מִצְפָּה. *Syrus* vertit ܕܘܩܐ specula LXX imitans, qui habent σκοπία.

2) Vocabula in V. T. semel tantum obvia aut

[1]) cf. Hirzel l. l. p. 45 s.

retinuit Syrus, aut recte est interpretatus. 3, 2. לחך Syr. ܠܚܟܝ —. 6, 8. עֲקֻבָּה Syr. ܡܦܠܦܠܢ *conspersa.* — 10, 7. קצף Syr. ܓܠܐ —. 12, 12. גלים Syr. ܓܠܐ — 11, 3. תרגלתי Syr. ܕܒܪܬ —. 13, 1. רְתֵת Syr. ܪܬܬ —. 13, 5. תלאובת Syr. ܡܕܒܪܐ ܕܠܐ ܡܥܡܪܐ (*in terra*) *deserta non habitata.* Sed 8, 6. in interpretanda voce שבבים LXX sequitur; πλανῶν. Syr. ܠܛܥܝܘܬܐ *seductioni.* Idem fit 13, 15. יפריא LXX διαστελεῖ, Syr. ܢܦܪܘܫ —.

3) Formas grammaticas, a vulgari scribendi ratione recedentes, bene solvit Syrus. e. c. 8, 12. רֻבֵּו תּוֹרָתִי Syr. ܣܘܓܐܐ ܕܢܡܘܣܝ [1]. — 10, 12. אֹהַבְתִּי לָדוּשׁ Syr. ܕܪܚܡܐ ܠܡܕܪܟܘ [2]. — 11, 3. קחם Syr. ܘܫܩܠ ܐܢܘܢ [3]. — 4, 6. אמאסאך Syr. ܐܣܠܝܟ [4]. —

Sed 6, 9 כחכי male interpretatus est cum LXX. ܟܡܣܟܢ ἡ ἰσχύς σου. *Symm. fauces tuae. Chald.* כְּמָא דִּי מְסַבַּר *quemadmodum exspectat.* — 7, 4. חֲמַת Veteres omnes חֲמַת a יָחַם; *Syr.* ܠܡܬܚܡܛܘ *furere.*

[1]) Gesenius: *Lehrgebäude* p. 543.

[2]) Ibid. p. 547.

[3]) Ibid. p. 356. not.

[4]) Ibid. p. 209.

4) In expediendis locis impeditis saepe quidem nodum bene solvit Syrus; plerumque autem aut LXX aut Chaldaeum consuluisse videtur. Quum hunc inter Syrum, LXX et Chaldaeum nexum infra distinctius illustrare in animo sit, exempla tantum ea damus, in quibus Syrum cum utroque non consentientem invenimus. 2, 8. עָשׂוּ לַבַּעַל *Syr.* ܘܡܢܗ ܥܒܕܘ ܒܥܠܐ *et ex eo confecerunt Baalem. Chald.* מִנֵּיה עֲבַדוּ לְטַעֲוָתָא *ex quo confecerunt idola.* LXX. καὶ ἐποίησε τῇ Βαάλ. — 2, 14. אָנֹכִי מְפַתֶּיהָ. *Syr.* ܡܛܥܐ ܐܢܐ ܠܗ *commovebo ego eam. Chald.* אֲנָא מְשַׁעְבֵּד לַהּ לְאוֹרַיְתָא *ego subjiciam eam legi.* LXX. ἐγὼ πλανῶ αὐτὴν — 3, 3. וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ. *Syr.* ܘܐܦܠܐ ܐܗܘܐ ܠܘܬܟܝ. LXX. καὶ ἐγὼ ἐπὶ σοί. — 4, 2. פָּרָצוּ. *Syr.* ܣܓܝܘ *multiplicantur.* LXX. κέχυται ἐπὶ τῆς γῆς et 4, 10. וְלֹא יִפְרֹצוּ. *Syr.* ܘܠܐ ܣܓܘ et *non multiplicabuntur.* LXX. καὶ οὐ μὴ κατευθύνουσι (*Cod. Al.*) scil. τὸν βίον. — 4, 12. וַיִּזְנוּ *Syr.* ܘܣܛܘ *et se averterunt. Chald.* וּטְעוֹ *et errant.* LXX. καὶ ἐξεπόρνευσαν. — 4, 16. כי כפרה סררה סרר ישׂראל. *Syr.* ܡܛܠܗܢܐ ܐܝܟ ܬܘܪܬܐ ܕܡܬܪܥܡܐ ܡܢ ܢܝܪܐ ܗܟܢܐ ܡܬܪܥܡܝܢ ܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ *propterea instar juvencae jugo obstrepentis, ita obstrepunt Israelitae.* — 4, 17. הַנַּח־לוֹ. *Syr.* ܫܒܘܩ ܠܗ *mitte eum.* LXX. ἔθηκεν ἑαυτῷ σκάνδαλα — 6, 3. כשׁחר נכון מצאו. *Syrus* ܐܝܟ ܨܦܪܐ ܕܫܪܝܪ ܡܦܩܗ *instar aurorae, cujus certus est*

ortus *). LXX. ὡς ὄρθρον ἕτοιμον εὑρήσομεν αὐτόν. — 7, 2. סְבָבוּם מַעַלְלֵיהֶם. Syr. ܚܕܪܘ ܐܢܘܢ ܥܘ̈ܠܝܗܘܢ cingunt eos scelera eorum. Chald. יְקַפוּנְנוּן עוֹבָדֵיהוֹן בִּישַׁיָּא circumdabunt eos opera eorum mala. LXX. ἐκύκλωσαν αὐτοὺς τὰ διαβούλια αὐτῶν. Aqu. Sym. τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν. — 10, 11. יְשַׁדֵּד־לוֹ. Syr. ܘܢܒܘܙ et praedabitur. LXX. ἐνισχύσει αὐτῷ. — 11, 4. כִּמְרִימֵי עֹל עַל לְחֵיהֶם. Syr. ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܪܝܡ ܢܝܪܐ ܡܢ ܨܘܪܝܗܘܢ quemadmodum qui jugum de cervicibus eorum tollit. LXX. ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ. Sym. et putaverunt, quod imponerem jugum super maxillam eorum. — 14, 4. אשר־בך ירחם יתום Syr. ܡܛܠ ܕܐܢܬ ܡܪܚܡ ܐܢܬ ܥܠ ܝܬܡܐ tu enim misereris orbi [1]). LXX. ἐν σοὶ ἐλεήσει ὀρφανόν. — 9, 4 etc.

Aliis in locis interpres id egit potius, ut sententiam qualemcunque a re non alienam exprimeret, quam qui re vera difficultates superasset. Qua in re non utique est vituperandus, quum ei nisi id non acciderit, quod omnium, qui libris difficilibus vertendis operam navant, sors hic illic esse soleat [2]). — 3, 4. —

*) Perverse interpres latinus verba haec vertit: *ut ad auroram cujus* etc.

[1]) Gesenius: Lehrg. p. 745.

[2]) Cf. Platon's *Werke übersetzt von* Schleiermacher. Pars. 1. ed. 2. p. V. Praef.

4, 4. — 7, 4. 12. — 9, 7. 13. — 12, 4. etc. sed raro tantum omnino a scopo aberravit. 4, 12. עמי בעצו ישאל Syr. ܥܡܝ ܒܡܠܟܬܗ ܫܐܠ *populus meus prudentiam consulit suam;* ac si בעצו idem esset quod בעצתו —. 5, 12. רקב Syr. ܐܪܩܐ —. 4, 15. תשבעו. Syr. ܬܐܡܪܘܢ —. 9, 2. תירוש. Syr. ܡܫܚܐ. —

5) In particularum vim, saepe occultam, plerumque feliciter penetravit interpres e. c. 1, 7. ואת־בית Syr. ܠܒܝܬܐ ܕܝܢ. — ibid. ולא אושיעם בקשת ובחרב ובמלחמה בסוסים ובפרשים. Syr. ܠܐ ܒܩܫܬܐ ܐܦܪܘܩ ܐܢܘܢ ܐܦܠܐ ܒܣܝܦܐ ܐܦܠܐ ܒܩܪܒܐ ܘܠܐ ܒܪ̈ܟܫܐ ܐܦܠܐ ܒܦ̈ܪܫܐ, quibus fortasse textus Ephraemi praeferendus erit, qui pro ܐܦܠܐ semper legit ܘܠܐ. — 2, 5. כי זנתה — כי אמרה Syr. ܘܐܡܪܬ — — ܡܛܠ ܕܙܢܝܬ. —. 2, 8. והיא Syr. ܗܝ ܕܝܢ —. 5, 2. 7. — 9, 3. — 13, 10. 13. 14 etc. —

Quamvis igitur constat, interpretem Syriacum versionem Peschito textui Hebraico tanquam fundamento superstruxisse; fieri tamen non potuit, quin in aedificio exstruendo, partium melius concinnandarum causa, hic illic aliquid mutaverit, interdum quoque peccaverit Syrus. Cujus quidem rei exempla proponimus haec:

a) Saepissime in versione Syriaca singula textus Hebraici verba in alium, quo se excipiunt,

ordinem, quam apud Hebraeum, redacta videmus. Exempla quaevis linea suppeditare potest.

b) Singula verba non eodem modo, quo in nostris textus Hebraici editionibus fit, inter se conjunxit Syrus. 7, 3 שׂרים cum versu proximo jungitur: ܟܠܗܘܢ ܡܫܠܛܢܝܗܘܢ *omnes principes eorum.*

c) Novum a textu Hebraico discrepantiae genus inde oritur, quod Syrus aliquoties hujus verba diverso pronuntiavit modo. 12, 1. עֹד רָד עִם־אֵל וְעִם *Syr.* ܥܕܡܐ ܕܢܚܬ ܥܡܗ ܕܐܠܗܐ ܥܡܐ *donec descendat populus dei, populus etc.;* pronuntiavit igitur עַד רָד עַם־אֵל עַם —. 12, 9. מָצָאתִי אוֹן לִי *Syr.* ܐܫܟܚܬ ܠܝ ܟܐܒܐ *inveni mihi dolorem;* pro אוֹן legit אָוֶן —. 14, 8. יְחַיּוּ דָגָן *Syr.* ܘܢܚܘܢ ܡܢ ܥܒܘܪܐ *et vivent frumento* (cf. *Vulg. vivent tritico*), legit igitur יִחְיוּ —.

d) Pluralem cum singulari et vice versa mutavit. 2, 17. והסירתי את־שמות הַבְּעָלִים מפיה ולא־יזכרו עוד בִשְׁמָם *Syr.* ܘܐܥܒܪ ܫܡܐ ܕܒܥܠܐ ܡܢ ܦܘܡܗ . ܘܠܐ ܢܬܕܟܪܘܢ ܬܘܒ ܫܡܗ *et amovebo nomen* BAAL *ab ore ejus, neque amplius mentionem facient nominis ejus.* 4, 6. — 7, 5. — Plerumque illis in locis Syrus plurali usus est, ubi ab Hebraeo singularem sensu collectivo adhibitum reperimus. 4, 8. 9. — 5, 5 11. — 7, 5. — 8, 3, 5. — 9, 2. — 10, 1. 13. — 12, 2. — 14, 9 etc.

e) Orationem directam in indirectam; constructionem passivam in activam, et vice versa, mutatam interdum videmus 14, 3. — 8, 12 etc.

f) *Saepius* in eo reprehendendus est Syrus, quod aliquid omiserit. — *Vau copulativum* 1, 4, 7. — 2, 13. — 8, 14. — 10, 3. — 14, 10 bis — —. לִי 2, 12. — 4, 6, 7. — — אַתָּה 2, 23. — —. Pronomina suffixa 6, 4. — 9, 4. — 14, 4. — Cap. 9, 1. interpres non reddidit דָּגָן — 11, 8. יַחַד —. 12, 12, אִם —. 13, 2. כַּלָּה —. 3, 2. שְׁעָרִים primo loco —. 4, 19. אוֹתָהּ. Quodsi 5, 7 dimidius versus deest, hoc potius scribae cujusdam, quam interpretis, negligentiae tribuerim.

g) Denique in versione non desunt addidamenta quaedam. — 1, 6. 9 inseritur ܡܢܐ —; 6, 8. ܗܘ —; 7, 14. ܟܠܗ —; 14, 4. ܘܐܡܪܘ —; pronomina suffixa adduntur 2, 23. — 3, 2. — 5, 13. — 13, 11; Vau copulativum 5, 14. — 6, 8. — 8, 2. — 9, 6, 9, 10. — 10. 5, 13. ter. — 11, 2. 3. — 12, 7. 9 bis. — 13, 12. — 14, 3. 4. — ܚܝܠ 12, 4. — ܩܕܡ 7, 1. — לְחַטֹּא 8, 11. secundo loco, vertitur ab Syro ܠܡܚܛܐ ܗܘܐ ܗܘ. — aliquoties idem verbum ad orationis vim augendam repetiit Syrus. 12, 10. אָכַר *Syr.* ܐܢܐ ܐܢܐ. 13, 4. — 1, 9. —; 8, 12 ܠܡܥܒܕ a seriore manu additum censemus.

§. 14.

De nexu, qui interpreti Syriaco cum versione Alexandrina et Chaldaica intercedit.

In his, quae adhuc disputavimus, quomodo Syrus in interpretando textu Hebraico versatus fuerit, exposuimus; sed haud paucis in locis interpretem cum versione septuagintavirali et Chaldaica consentientem animadvertimus, de quo duplici versionis Peschito nexu nunc nobis est dicendum.

Loca, in quibus Syrus et LXX contra Hebraeum consentiunt, notavimus haec: — *Hos.* 1, 10. post *οὐ λαός μου ὑμεῖς* in *Cod. Al.* additur *ἐκεῖ*, quod recepit *Syrus*; ܬܡܢ —. 5, 12. עָשׁ LXX. *ταραχή*. *Syr.* ܫܘܓܫܐ —. 6, 6. מֵעֹלוֹת LXX. *Edit Compl.* *μᾶλλον ἤ ὁλοκαυτώματα* (reliqui codd. sine *μᾶλλον*). *Syr.* ܝܬܝܪ ܡܢ ܢܩ̈ܪܐ [1]). — 8, 2. ישׂראל LXX. et *Syrus* omittunt. — 8, 6. כי שׁבבים יהיה עגל שׁמרון LXX. *διότι πλανῶν ἦν ὁ μόσχος σου Σαμάρεια.* Derivarunt שׁבבים a שׁוב. cf. *Jerem.* 50, 6. *Syr.* ܐܠܐ ܠܛܘܥܝܐ ܗܘܐ ܥܓܠܟܝ ܫܡܪܝܢ *sed seductioni erat vitulus tuus Samaria.* — 10, 4. אלות שוא LXX. *προφάσεις ψευδεῖς*; אָלוֹת et עָלוֹת confuderunt. *Syr.* ܡܡܠܠܐ ܕܓܠܐ — 11, 2. מִפְּנֵיהֶם LXX. *ἐκ*

[1]) Cod. Usserii legit ܢܩ̈ܪܐ ܡܣܩ̈ܬܐ, quod utique Graecum *ὁλοκαυτώματα* reddit, sed interpolationem redolet. cf. *Epist. ad Hebr.* 10, 6, 8. —

προσώπου μου αὐτοί = מִפְּנֵי הֵם. *Syr.* ܩܕܡ ܐܦ̈ܝ neglecto הֵם —. 13, 1. יוֹלֵדָה LXX. ὡς τικτούσης *Syr.* ܐܝܟ ܝܳܠܕܬܐ — Paulo post in eodem versu עת LXX. et *Syrus* omiserunt; solus *cod. Barber.* habet νῦν. — 2, 5. צמרי LXX. καὶ τὰ ἱμάτιά μου. *Syr.* ܘܢܚ̈ܬܝ — ibidem וְשִׁקּוּיָי LXX. καὶ πάντα ὅσα μοὶ καθήκει quod ad verbum repetiit *Syrus* ܘܟܠ ܕܡܬܒܥܐ ܠܝ. — 2, 6. דַּרְכֵּךְ LXX. τὴν ὁδὸν αὐτῆς. *Syr.* ܐܘܪܚܗ = דַּרְכָּהּ. — 2, 15. לפתח תקוה LXX. διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῆς. *Syr.* ܕܢܦܬܚ ܣܘܟܠܗ. — 3, 1. אֲהֻבַת רֵעַ LXX. ἀγαπῶσαν πονηρά. *Syr.* ܕܪܚܡܐ ܒܝܫܬܐ = אֹהֶבֶת רַע. — 3, 4. וְאֵין זֶבַח LXX. οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου. *Syr.* ܘܠܐ ܡܕܒܚܐ = וְאֵין מִזְבֵּחַ —. 4, 2. נגעו LXX. μίσγουσι *Syr.* ܡܚܠܛܘ —. 4, 14, 15. ועם לא יבין ילבט (15) אם זנה LXX et *Syrus*, versus decimi quinti initium ad finem decimi quarti trahentes, vertunt: καὶ ὁ λαός ὁ μὴ συνιὼν συνεπλέκετο μετὰ πόρνης. *Syr.* ܘܥܡܐ ܕܠܐ ܡܣܬܟܠ ܥܡ ܙܢܝܬܐ —. 4, 15. אל יאשם LXX. μὴ ἀγνόει. *Syr.* ܠܐ ܬܣܟܠ —. 5, 1. לְמִצְפָּה LXX. σκοπιᾳ. *Syr.* ܠܣܘܟܝܐ = לְמִצְפֶּה — 5, 6. ימצאו LXX. εὕρωσιν αὐτὸν. *Syr.* ܢܫܟܚܘܢܗ = ימצאוהו. — 7, 16. ישובו לא על LXX. ἀπεστράφησαν εἰς οὐδέν. *Syr.* ܐܬܗܦܟܘ ܠܟܠ ܠܐ ܡܕܡ = ישובו לא על —. 8, 4. ולא ידעתי LXX. καὶ οὐκ ἐγνώ-

ρισάν μοι. *Syr.* ܘܠܐ ܐܬܪܥܝܬܘܢ —. 10, 1. הטיבו מצבות LXX. *ᾠκοδόμησε στήλας.* *Syr.* ܒܢܘ ܩܝܡܬܐ. — 10, 7. נדמה LXX. *ἀπέῤῥιψε* [1]). *Syr.* ܫܕܬ —. 10, 10. באסרם LXX. *ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτούς* [2]). *Syr.* ܟܕ ܡܬܪܕܝܢ *quando castigabuntur;* אסר = יסר —. Ibidem לשתי עונתם LXX *ἐν ταῖς δυσὶν ἀδικίαις αὐτῶν.* *Syr.* ܥܠ ܬܪܬܝܢ ܣܟܠܘܬܗܘܢ *propter duo delicta sua.* — 11, 3. על זרועתיו LXX *ἐπὶ τὸν βραχίονά μου.* *Syr.* ܥܠ ܕܪܥܝ *in brachiis meis* [3]) —. 11, 6. וחלה חרב LXX *καὶ ἠσθένησεν ἐν ῥομφαίᾳ;* sed *Cod. Al.* *καὶ ἠσθένησεν ῥομφαία,* quem sequitur *Syrus* ܣܝܦܐ ܢܠܒܟܝܗ —. Ibidem וכלתה בדיו ואכלה LXX *καὶ κατέπαυσεν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, καὶ φάγονται.* *Syr.* ܘܢܫܠܛܘܢ ܒܗ ܐܝܕܝܗܘܢ ܘܢܐܟܠܘܢ; legerunt igitur בידיו et ואכלו 4) —. 12, 15. תמרורים LXX. *καὶ παρώργισε.* *Syr.* ܘܐܪܓܙ —. 13, 5. ידעתיך LXX *ἐποίμαινόν σε.* *Syr.* ܪܥܝܬܟ = רעיתיך —. 13, 11. אתן LXX *καὶ ἔδωκα.* *Syr.* ܘܝܗܒܬ —. 13, 14. אפדם ממות LXX. *ῥύσομαι, καὶ ἐκ θανάτου.* Melius *Cod. Al.* *ῥύσομαι αὐτοὺς ἐκ*

1) Sic saepius LXX. *Hos.* 11, 1. bis. *Obad.* 1, 2. *Jerem.* 8, 14. — 47, 5. — 51, 6. —

2) Cf. *Psalm.* 104, 21.

3) Quum hoc loco Syrus LXX sequatur legendum conjicio ܥܠ ܕܪܥܝ *in brachio meo.*

4) Sed conferas, quae pagina 81 de hoc loco monuimus.

θανάτου. Utramque lectionem conjunxerunt *Arabs* et *Syrus;* ܐܦܪܘܩ ܐܢܘܢ ܘܡܢ ܡܘܬܐ *servo eos et a morte. etc.* — Ibid. דְּבָרֶיךָ LXX *ἡ δίκη σου*, quod de judicis effato est intelligendum [1]); neque aliam lectionem invenit Arabs, vertens عُقُوبَتُكِ *poena tua*, quatenus haec judicis effato decernitur. Sed *Syrus* offert ܙܟܘܬܟܝ *victoria tua*, quocum consentit *εἰς νῖκος* in epistola *Pauli* ad *Corinthios* I. cap. 15. v. 55. Equidem *δίκη* scribae cujusdam culpa in *νίκη* depravatum, idque in *νῖκος*, serioris aevi Graecis magis tritum, mutatum nullus dubito. —. 13, 15. יפריא LXX *διαστελεῖ.* *Syr.* ܢܦܪܘܫ = יפריד cf. Genes. 25, 23. 30, 41. Ruth 1, 17. — 14, 3. יהוה LXX *κύριον τὸν θεὸν ὑμῶν.* *Syr.* ܡܪܝܐ ܠܐܠܗܟܘܢ —. 14, 6. אֶהְיֶה LXX. *ἔσομαι.* *Cod. Al.* *καὶ ἔσομαι*, quem Sequitur *Syrus* ܘܐܗܘܐ —. 14, 8. יֵשְׁבוּ LXX. *καὶ καθιοῦνται.* *Syr.* ܘܢܬܒܘܢ —.

Nexum quendam inter Syrum et Chaldaeum testantur haec loca: 2, 9. לכסות *Chald.* דִיהֲבִית לָהּ לְכַסָּאָה *quae ei dedi, ut tegeret;* ܕܝܗܒܬ ܠܡܟܣܝܘ *quae dedi ut tegeret.* — 3, 5. וּפָחֲדוּ *Syrus* ܘܢܕܥܘܢ *et cognoscent.* Hujus interpretationis originem in Chaldaica deteximus paraphrasi, quam Syrus non recte cepit. Chaldaeus

[1]) Cf. *Exod.* 18, 22 ubi דבר *κρίμα* et 22, 9. *Jerem.* 5, 28 ubi *κρίσις* a LXX vertitur.

enim verbum Hebraicum interpretatus est: וְיִתְנְהוֹן לְפוּלְחָנָא דַיְיָ quod, prout יתנהון a radice aut נְהָה aut חֲנָה derivaveris, utrumque enim licet [1]), aut *et scient colere dominum*, aut *et congregabuntur ad colendum dominum*, verti potest. Textus Hebraici ratione habita postrema tantum interpretatio ferenda est [2]). Syrus autem aliam Chaldaei verbis elicuit sententiam, huic loco non convenientem. — 4, 7. אָמִיר *Chald.* חַלִּיפוּ *Syr.* ܢܚܠܦܘ. Videntur אמיר infinitivum conjugationis Hiphil, Chaldaicae formae, habuisse [3]). — 4, 14. הקדשות *Chald.* נַפְקַת בְרָא *egredientes foras;* quibus verbis scorta denotare Chaldaeis solemne est. *Syrus* Chaldaeum ad verbum reddidit ܢܦܩܢ ܠܒܪ ܗܘܝ *egredientes foras.* — 6, 1. כי הוא טרף וירפאנו יך ויחבשנו. Transposuerunt inter se verba טרף et יך, nescio cur, Syrus et Chaldaeus, *Syr.* ܡܚܐ ܘܗܘ ܢܐܣܐ ܠܢ ܘܗܘ ܢܚܒܘܫ *Chald.* הוּא דִי מְחָנָא וְיַסְּנְנָא וּדְאַיְתֵי עֲלָנָא חֲבַר לָנָא יְנִיחַ. — 7, 1. בלי הפוכה *Syr.* ܓܪܝܨܐ ܐܬܐܟܠ ܐܬܐܦܝ (*placenta*) *quae antequam cocta est comeditur.* *Chald.* דְעַד לָא אִתְהַפְּכַת

[1]) cf. *paraphras. Chald. Hos.* 2, 16. — Buxtorf: lexicon chaldaicum et talmud. p. 1310. s. v. נְהָה —.

[2]) Eodem plane modo explicant interpretes verba *trepidavit aetas* Horat. Carm. 2, 4, 23. *trepidavit i. e. festinavit.* cf. Servius in Virg. Aeneid. 3, 616 s. — 4, 121. — 12, 731.

[3]) cf. Gesenius: Lehrgebäude p. 319.

אִתְאַכְלַת *quae sequam inversa est comeditur.* In his verbis interpretandis alterum alterius esse pedissequum non est quod inficias ire possis. Utroque interprete accuratius examinato, Chaldaeum propius, quam Syrum, ad textum Hebraicum accedere manifesto apparet; retinuit enim Chaldaeus Hebraicum הפיכה, quod reddidit אתהפכת; Syrus autem habet ܐܬܦܟܬ. Hinc patet utriusque interpretis consensum non ita explicari posse, ut Chaldaeum versione Syriaca usum esse statuamus [1]), immo Syrus Chaldaeo usus est. Etenim Chaldaicum אתהפכת et Syriacum אתאפית, quum perpaulum tantum inter se differant, confudit Syrus. — 8, 2 Post ויעקר tam Syrus quam Chaldaeus inseruit ܘܐܡܪܝܢ — וְאָמְרִין, 1, 10. לא יִמַּד וְלָא יִסָּפֵר *Syr.* ܠܐ ܡܬܟܝܠ ܘܠܐ ܡܬܡܢܐ *Chald.* דְלָא מִתְכַּל וְלָא מִתְמְנֵי. 2, 12. ושמתים et ואכלתם *Syr.* ܘܐܣܝܡ ܐܢܝܢ et ܘܐܟܠ ܐܢܝܢ *et redigam eas — et comedent eas.* Chaldaeus et idem foemininis usus est [2]). — 2, 13. וחליתה *Syr.* ܘܡܪܓܢܝܬܗ *et margaritae ejus. Chald.* וּבִתְלִיַּת מַרְגָּלִיתְהָא *et ornamento margaritarum suarum.* — 4, 11. לֵב *Syr.* ܠܒܗܘܢ idem Chaldaeus. — 5, 4. לא יתנו מעלליהם *Syr.* ܠܐ ܫܒܩܝܢ ܠܗܘܢ ܥܒܕܝܗܘܢ *non permittunt eis facinora ipsorum,* quod cum Chaldaeo quadrat, qui vertit: לא שַׁבְקִין עוֹבָדֵיהוֹן. — 7, 12. באשר *Syr.* ܐܝܟܐ *Chald.* בַּאֲתַר *ubicun-*

[1]) cf. Michaelis: *Abhandl. v. d. Syr. Spr.* p. 65 s.
[2]) cf. Gesenius: *Lehrgeb.* p. 210.

que. — 7, 13. שד להם *Syr.* ܚܒܠܢܐ ܐܝܬܐ ܥܠܝܗܘܢ *perniciem adducam super eos.* *Chald.* בְּזוֹזֵי אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן *praedatores adducam super eos.* — 8, 5. זנח עגלך *Syr.* ܪܕܦܘ ܒܬܪ ܥܓܠܟ *sectantur vitulum tuum.* *Chald.* טְעוֹ בָתַר עֶגְלָא *sectantur vitulum.* — 8, 6. כי מישראל והוא *Syr.* ܡܛܠ ܕܡܢ ܐܝܣܪܝܠ ܗܘ *nam ab Israele fuit is.* Eandem interpretationem tuetur *Chaldaeus.* — 8, 13. זבחי הבהבי יזבחו *Syr.* ܕܒܚܐ ܕܓܒܝܐ ܡܕܒܚܝܢ *victimas selectas sacrificant.* Sed, ne haec versionis Syriacae interpretatio latina a scopo aberret, vereor; propius accederet: *victimas* (*vi*) *coactas sacrificant* [1]). *Chald.* דִבְחִין דְמִגְּבַן מִן אוֹנֶס *sacrificant, quae rapina coegerunt.* — 9, 16. גם כי ילדון *Syr.* ܐܢ ܢܘܠܕܘܢ ܒܢܝܐ *et si filios procreent.* *Chald.* אַף אִם יְרַבּוּן בְּנִין *etiamsi filios educaverint.* — 10, 8. עלינו *Syr.* et *Chald.* ܥܠܝܗܘܢ — 11, 1. נער ישראל *Syr.* ܛܠܝܐ ܗܘܐ ܐܝܣܪܝܠ *Chald.* רְבֵי הֲוָה יִשְׂרָאֵל. Uterque inseruit הֲוָה — 13, 1. כדבר אפרים רתת נשא הוא בישראל *Syr.* ܟܕ ܡܡܠܠ ܐܦܪܝܡ ܙܥ ܗܘܐ . ܘܗܘܐ ܪܒܐ ܒܐܝܣܪܝܠ, quod Gabriel Sionita vertit: *Dum loqueretur Deus, Aphrem tremebat, proinde factus fuerat magnus in Israel.* Melius

[1]) cf. ܓܒܝܐ *Matth.* 5, 25. ὑπηρέτης. — *Luc.* 12, 58. πράκτωρ. —

Ephraem Syrus [1]) pro *Deus* subintellexit *Israel:* ܪܐܬ ܗܘܐ . ܗܘ ܐܝܣܪܝܠ *Dum loquebatur Ephraim, tremebat Israel etc.* Sed in vocabulo ܪܐܬ vitium inveteratum latere et legendum esse ܪܬܐ suspicor. Apertius Syri sententiam expressit *Chaldaeus:* כַּד מְמַלֵּל חַד מִבֵּית אֶפְרָיִם רְתִיתָא אָחִיד לְהוֹן לְעַמְמַיָּא מִתְרַבְרְבִין הֲווֹ בְּיִשְׂרָאֵל *Cum loquitur aliquis de domo Ephraim tremor corripit eos, i. e. populos* (i. e. hoc loco reliquas novem tribus regni Israelitici); *dominantur* (Ephraemitae) *in Israel.* — 14, 9. אפרים *Syr.* ܘܢܐܡܪ ܐܦܪܝܡ *et dicet Ephraem. Chald.* וְיֵימְרוּן דְּבֵית יִשְׂרָאֵל *dicent Israelitae.* 2, 8. — 4, 9. — 5, 11. — 8, 3. — 9, 2. — 10, 1. — 11, 5. — 12, 2. —

Restat ut tertium locorum genus, in quibus Alexandrini, Chaldaeus et Syrus consentiunt, enumeremus. 1, 8. ותהר LXX. *καὶ συνέλαβεν ἔτι.* *Syr.* ܘܒܛܢܬ ܬܘܒ *Chald.* וְאוֹסִיפוּ וַעֲבַדוּ. Attamen ܬܘܒ Syri serius ex LXX insertum esse

[1]) Totum versum bene in hunc modum ab *Ephraemo* dilucidatum videmus: Cum Ephraim in regno Israel idolorum cultui faveret, reliquae tribus se opponere non conatae sunt; ob magnam, qua haec tribus pollebat, auctoritatem, et metuentes, ne rex Jerobeam ab ipsis vindictam sumeret. Hic enim rex timebat, ne Jehovae cultu ambo regna, in quae Judaeorum natio divisa erat, iterum coalescerent. Hinc factum, ut in regno Israel idolorum praevaleret cultus. —

nos docet Ephraem. — 4, 8. נַפְשׁוֹ LXX. *τὰς ψυχὰς αὐτῶν*. *Syr.* ܢܦܫܗܘܢ *Chald.* נַפְשְׁהוֹן —. 6, 5. ומשפטיך אור LXX. *τὸ κρίμα μου ὡς φῶς*. *Chald.* וְדִינַי כִּנְהוֹר נָפֵק *Syr.* ܘܕܝܢܝ ܐܝܟ ܢܘܗܪܐ ܢܦܩ Omnes igitur legerunt וּמִשְׁפָּטַי כָּאוֹר, quod procul dubio praeferendum. — 7, 5. הֶחֱלוּ LXX. *ἤρξαντο*. *Syr.* ܫܪܝܘ. *Chald.* שְׁרִיאוּ. *Vulg.* coeperunt. — 9, 1. אֶל גִּיל LXX. *Chaldaeus* et *Syrus* legerunt אַל גִּיל *μὴ χαῖρε*. — לָא תֶחְדוּן — ܠܐ ܬܚܕܘܢ —. 8, 5. נִקָּיֹן LXX. *καθαρισθῆναι*. *Syr.* ܠܡܙܟܝܘ *Chald.* לְמִזְכֵּי. *Aquil.* *ἀθωωθῆναι*. — *Symm.* *καθαρθῆναι*. — 11, 11. והושבתים LXX. *καὶ ἀποκαταστήσω αὐτούς*. *Chald.* וְאֶתֵּבִנּוּן *Syr.* ܘܐܘܬܒ ܐܢܘܢ. Omnes legerunt וַהֲשִׁבֹתִים cf. *Jerem.* 32, 37 —. 12, 6. יְהוָֹה זִכְרוֹ LXX. *ἔσται μνημόσυνον αὐτοῦ*. *Syr.* ܕܘܟܪܢܗ. *Chald.* כְּמָא דַאֲמִיר עַל יְדֵי מֹשֶׁה דִּכְרָנֵיהּ לְכָל דָּר וְדָר *quemadmodum annuntiatum est Mosi, ita nomen ejus erit in perpetuum.* Inde omnes pro יְהוָֹה legisse יִהְיֶה liquet. — 12, 10. מארץ מצרים LXX. *ἀνήγαγόν σε ἐκ γῆς Αἰγύπτου*. *Chald.* דְּאַסֵּקְתָךְ מֵאַרְעָא דְמִצְרַיִם *Syr.* ܐܣܩܬܟ ܡܢ ܐܪܥܐ ܕܡܨܪܝܢ cf. 13, 14. — 13, 2. כִּתְבוּנָם LXX. *κατ' εἴκονα*. *Chald.* כִּדְמוּתְהוֹן *Syr.* ܒܕܡܘܬܗܘܢ ac si omnes legissent ברמותם —. 14, 1. עלליהם Omnes addunt *Et.* —

§. 15.

Continuatio.

His ex locis, quae laudavimus, nexum quendam inter Syrum et Alexandrinos atque Chaldaeum locum habere satis superque apparet; ad quem quidem explicandum varias Viri Docti sententias excogitarunt. Quaeritur autem, utrum hic Syri cum Alexandrinis et Chaldaeo consensus ab ipsius versionis Peschito auctore, an ab alio quopiam sit repetendus.

Iam, hunc consensum pluribus in locis mere fortuitum esse, ingenue est fatendum. Huc referimus, quod LXX adtinet, loca 4, 8, 9, 10. — 5, 5, 11. — 6, 9. — 7, 5. — 8, 5, 13. — 9, 2 etc. Chaldaei autem ratione habita 1, 10. — 2, 8, 19. — 4, 8, 9. — 5, 5, 11. — 7, 5. — 8, 3, 5. — 9, 2. — 10, 1. — 11, 5, — 12, 2. — Aliis quibusdam in locis discrepantiam veterum interpretum, a textu nostro Hebraico, diversae textus, quem secuti sunt, lectioni jure tribuimus. Hujus generis sunt loca 1, 8. — 6, 5. — 7, 6. — 9, 1. — 11, 11. — 12, 6, 10. — 13, 2, 4. — 14, 1. His seclusis reliqua accuratius indagaturi sumus.

Affinitatem inter Syrum et LXX eo explicare studuit RICHARDUS SIMON [1]), quod Syrum ex Arabum aliisque Syrorum, quae Alexandri-

[1]) RICHARD SIMON, Hist. critiq. du V. T. p. 272 et 277. Eandem sententiam tuetur CARPZOV: critica sacra p. 626.

nis parent, versionibus interpolatum diceret. EICHHORN [1]) et BERTHOLDT [2]) ipsum interpretem Syriacum interdum LXX consuluisse statuunt; haud tamen versionem Peschito hic illic e LXX et ex aliis, ab his profectis, Syrorum versionibus seriore tempore esse interpolatam denegant. Qui nuperrime de versionis Syriacae disseruit indole, HIRZEL [3]), plerisque in locis consensum inter Syrum et LXX interpolationibus, a saeculo quarto usque ad decimum tertium factis, tribuendum esse, censet.

Quodsi autem, quaenam aetas huic versionis Peschito cum LXX consensui vindicanda sit, exploraturi, Ephraemum Syrum, vetustissimum hujus versionis testem, consulimus: versionis Peschito, quo Ephraem usus est, textum, quod ad consensum cum LXX attinet, a textu Bibliorum Polyglottorum perpaulum tantum differre omnino apparet.

Sexies apud Ephraemum Hoseae versio Syriaca, relicto textu Hebraico, propius ad LXX accedit. 3, 1. ܪܚܡ *Ephr.* ܘܪܚܡ LXX. καὶ ἀγά-

[1]) EICHHORN: *Einleitung in d. A. T.* pars 2. p. 142 ss.

[2]) BERTHOLDT: *historisch kritische Einleitung.* P. II. p. 597.

[3]) LUDOV. HIRZEL: de Pentateuchi versionis Syriacae, quam Peschito vocant, indole. Lps. 1825. p. 118 ss.

πησον. — 5, 1. ܘܡܨܝܕܬܐ *Ephr.* ܘܐܝܟ ܡܨܝܕܬܐ LXX. *καὶ ὡς δίκτυον* —. 6, 6. ܘܠܐ *Ephr.* ܝܬܝܪ ܡܢ LXX. *ἤ.* — 11, 5. ܐܬܘܪ ܡܠܟܗ *Ephr.* ܡܠܟܗܘ LXX. *ἀνέλαβον αὐτὸν.* — 12, 2. ܦܣܩܘ *Ephr.* ܦܣܩ LXX. *ἀποδώσει.* — ܘܢܦܪܘܥ *Ephr.* ܘܐܦܪܘܥ *Cod. Al. διότι ἀποστρέψω* — Totidem locis Ephraem, contra textum Syriacum Bibll. polygll., tam cum Hebraeo, quam cum versione Alexandrina congruit. 2, 15. ܒܡܕܒܪܐ *Ephr.* ܘܡܡܕܒܪܐ —. 8, 4. ܘܐܬܡܠܟܘ *Ephr.* ܐܬܡܠܟܘ —. 9, 2. ܘܡܢ *Ephr.* ܡܢ —. 12, 2. ܐܡܠܟܗ *Ephr.* ܐܡܠܟܐ — 10, 8. ܕܢܦܠܘܢ ܥܠܝܗܘܢ *Ephr.* ܕܢܦܠܘ ܥܠܝܢ —. 13, 14. ܗܘܝܠܐ *apud Ephraemum deest.*

Omnes hae mutationes, natura earum accuratius considerata, parvi momenti inveniuntur; cum, neque sententiam mutantes, neque difficultatem quampiam tollentes, hoc solum efficiant, ut orationis numerus melius procedat, ita ut, utrum pleraeque consulto an casu receptae fuerint, dubitari possit. Has, inter Ephraemum et nostrum versionis Peschito textum, diversitates ex parte veras esse textus lectiones facile concedimus: sed sunt aliae, de quibus haec largiri non possimus, quaeque ab Ephraemo et scribis operum ejus originem deducant oportet. Qua in re magis caeci casus ludibria cernuntur, quam in vocabulo Et, nunc omisso nunc inserto? Num inde, quod Ephraem *Hos.* 14, 5. in prima

persona, in iis, quae hunc versum praecedunt, adhibita, pergit, hanc varietatem Alexandrinis, qui et ipsi prima persona usi sunt, originem debere, merito concludi poterit? Nonne ubique locorum rerum humanarum conditio eadem, eosdem etiam habuit eventus? Ephraem non id spectavit, ut in commentariis suis loca V. T. ipsi explicanda singulari scribae cura ad verbum exscriberet et referret, imo, verba singula non anxie curans, sententias potius referre studuit; quemadmodum, qui versantur in explicandis libris sacris, ut populi captui magis omnino accommodentur, nunc quoque facere solent. Exempla, quibus haec nostra sententia probetur, quaevis Ephraemi commentariorum pagina suppeditat. Cf. Comment. in *Hos.* 3, 4. — 4, 16. — 5, 11. — 6, 18. — 7, 1, 8. — 9, 4. — 10, 13. — 12, 5, 12 etc. Hinc factum est, ut mox ab eo aliquid omitteretur, mox adderetur. Sic *Ephraem Hos.* 2, 16. omisit ܐܡܪ ܡܪܝܐ. — Idem 3, 1. pro ܠܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ habet ܠܐܝܣܪܝܠ —. 3, 4. verba ܘܕܠܐ ܦܠܚܢܐ omissa sunt 4, 14. — 6, 1, 10. — 7, 1. — 8, 7, 8. — 11, 2. — 9, 2. etc. Synonyma mutavit 13, 11. Alia verborum constructione usus est. 7, 1. — 10, 4. — 12, 5. — 5, 11. — Pro ܒܥܠ ܦܥܘܪ *Hos.* 9, 10. Ephraem habet ܒܝܬ ܦܥܘܪ, cui errori *Deut.* 3, 29. ansam dedisse videtur.

Neque consensus hic locorum, ab Ephraemo laudatorum, cum versione Alexandrina inde explicandus est, quod Ephraemum versionem Pe-

schito cum LXX contulisse statuamus. Quamvis enim, ut supra docuimus, sententia, Ephraemum linguae Graecae haud fuisse ignarum, quam maxime nobis arrideat, non tamen ii sumus, qui Ephraemum hac, quam sibi paraverat, cognitione adeo abusum esse, ut ejus ope versionem Peschito ex LXX interpolasset, credamus. Hoc enim si suscepisset, neque in emendandis locis nullius utique ponderis sibi acquievisset, neque in loco, jam saepius laudato, *Hos.* 7, 3. utrum ܡܠܟܐ an ܡ̈ܠܟܐ legendum sit haesitasset. Sed hunc inter Ephraem Syrum et versionem Alexandrinam consensum, magna ex parte ne ab Ephraemo quidem ipso, sed a serioris temporis scribis esse repetendum, admodum veri simile est. Post Ephraem Syri enim tempora, versionis Graecae Alexandrinorum auctoritas apud Syros adeo aucta est, ut, non contenti versione Peschito, etiam LXX Syriace verterent, quae versio figuratae nomine insignitur. Deinde, quum haec versio figurata, aliaeque ex versione Alexandrina tanquam fonte haustae, magis magisque in vulgarem usum abiissent: factum est, ut scribae, mox inscii, mox consilio, versionem Peschito et Ephraemi commentarios illis conformarent. Insigne hujus rei exemplum in Ephraemi commentario in *Hoseam* 10, 14 supra (§. 11.) attulimus [1]); alia quaedam collegit

[1]) Hosea 6, 6. Peschito habet ܝܩܕܐ LXX. *ὁλοκαυτώματα*, quod alibi (Hebr. 10, 6. 8) ܝܩܕܐ ܡܫܠܡܐ interpretati sunt Syri. Hinc factum, ut scriba

SPOHN [2]). Hinc factum conjicio, ut et ille inter Ephraemum et LXX consensus ex parte saltem ortus sit. Quae cum ita sint, *versionis Peschito cum versione Alexandrinorum Graeca consensum Ephraemi aetatem, i. e. saeculum post Chr. n. quartum, superare, constat.*

Haec autem inter Syrum et LXX necessitudo non ubique, sed singulis tantum, et difficilioribus explicatu plerumque in locis, deprehenditur. Verba obscuriora 5, 2. וְשַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ Syrus vertit ܘܨܝܕܐ ܕܨܝܕܝܢ ܛܡܪܘ ܦܚܐ *et venatores, qui venando occultant laqueos*; procul dubio imitans LXX; qui habent *ὅ οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν.* — 8, 6. כִּי שְׁבָבִים יִהְיֶה עֵגֶל LXX. *διότι πλανῶν ἦν ὁ μόσχος σου. Syr.* ܐܠܐ ܠܛܘܥܝܝܐ ܗܘܐ ܥܓܠܟ *sed seductioni erat vitulus tuus.* — 8, 13. בָּשָׂר וַיֹּאכֵלוּ LXX. *καὶ φάγωσι κρέα. Syr.* ܐܟܠܝܢ ܒܣܪܐ ... etc. Deinde hic consensus conspicitur in parvi momenti addidamentis et mutatis vel personis vel numero, quod exempla, supra collecta (§. 14), demonstrant. Qui vero magno numero locorum, in quibus Syrus, relicto textu Hebraico, a parte versionis Alexandrinae stat, offenderentur, eos locorum, in quibus LXX ab Hebraeo discrepant, numerum hunc

quidam, ipso inscio, et nostro loco ܢܨܪܐ ܡܟܡܪܐ poneret, quam lectionem Cod. *Usserii* offert. —

2) De ratione textus biblici etc. p. 40 ss. cf. WAHL l. l. p. 83 ss.

longe superare moneo. Saepissime exempli gratia LXX verba similia inter se confuderunt: 8, 8. פרח et פרא; *ibidem* ממשח et ממשא — 13, 1. ויאשם et ויאשם —. 9, 6. מכמס et מחמד —. 13. 15. ארצר et אוצר — 9, 12. בשרי et בשורי —. 3, 2. עמר et חמר —. 12, 1. כאמר et כאמן —. 7, 9. זרחה et זרקה et alia exempla multa. Ab ejusmodi levitatis vitiis semper fere bene sibi cavit Syrus; nec nisi 10, 4, ubi LXX אָלוֹת et עָלוֹת inter se confuderunt, in eundem errorem Syrus inductus est. Ejusmodi autem vitia Syrus vitare non potuisset, nisi versionem Alexandrinam juxta textum Hebraicum consuluisset. Commendant hanc sententiam alia quaedam loca, in quibus Syrus, ut textum Hebraicum et versionem Alexandrinam in interpretatione Syriaca quodammodo conciliaret, tentavit. *Hos.* 10, 12. נִירוּ לָכֶם נִיר וְעֵת לִדְרוֹשׁ אֶת־יְהוָה עַד־יָבוֹא וְיוֹרֶה צֶדֶק לָכֶם LXX. *φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως, ἐκζητήσατε τὸν κύριον ἕως τοῦ ἐλθεῖν γεννήματα δικαιοσύνης ὑμῖν.* Interpretati igitur sunt נִיר = נוּר = נָהַר. Unum hoc arripuit Syrus reliquis rejectis: ܐܢܗܪܘ ܠܟܘܢ ܢܘܗܪܐ ܡܛܠ ܕܙܒܢܐ ܗܘ ܠܡܒܥܝܗ ܠܡܪܝܐ ܥܕ ܐܬܐ ܘܡܚܘܐ ܠܟܘܢ ܙܕܝܩܘܬܗ *accendite vobis lucernam, quia tempus est quaerendi dominum, donec veniat et ostendat vobis justitiam suam.* — 13, 9. שִׁחֶתְךָ יִשְׂרָאֵל כִּי־בִי בְעֶזְרֶךָ LXX. *τῇ διαφθορᾷ σου Ἰσραὴλ τίς βοηθήσει;* mutarunt igitur כִּי־בִי in מִי; quod imitatus est Syrus; in reliquis cum Hebraeo quadrat: ܚܒܠܬܟ ܐܝܣܪܝܠ. ܡܢܘ ܢܥܕܪܟ *perdidi te Israel, quis te adjuvabit.* cf. 11, 2. — 14, 3 et loca § 13 laudata. —

Quum sententia, saeculis ante Ephraemum proximis versionem Peschito cum textu Hebraico et versione Alexandrina, saepius et a diversis viris, esse collatam, nulla veri specie se commendet, versionis Syriacae auctorem ipsum LXX consuluisse contendimus. Postea tum vitia quaedam scribarum culpa se insinuarunt, tum aliae versiones Syriacae, ad versionem Alexandrinam conformatae, lectionum variantium numerum adauxerunt; sed vix, ac ne vix quidem, versio Peschito ante Ephraemi aetatem ex ipsa versione Alexandrina consulto mutata est. Quodsi saeculis sequentibus Syri, ut disertis nobis traditur verbis [1]), his versionis Peschito ex LXX interpolationibus, quas emendationes opinati sunt, sedulo operam dederunt: hae textus mutationes aut non late vagatae sunt, aut in nostris versionis Syriacae codicibus textus primorum p. Chr. n. saeculorum adhuc exstat [2]). Qui autem, ut hanc, de versionis Peschito cum LXX consensu, nobis probatam sententiam refellant, monent: "Si versione Graeca usus esset, versionis Syriacae auctor, id vix alia causa facere potuisset, quam quod se ipse sentiret idonea carere linguae Hebraicae peritia, neque alio consilio, quam ut haberet, quo iis in locis, quorum impeditior esset paullo explicatio, confugeret [3])"; hi legant, velim,

[1]) Gregorius Barhebraeus abs se studiose versionem Peschito ex LXX mutatam esse narrat. Vide Assemani: Bibliotheca Or. II. p. 279 ss.

[2]) Eichhorn: *Einleitung* P. II. p. 146 ss.

[3]) Hirzel: l. l. p. 118.

quae MICHAELIS [1]) egregie hac de disseruit.

Superest ut, quaenam sit ratio nexus inter Syrum et Chaldaeum, exploremus; quod quidem ut fieri possit, iterum Ephraem Syrum arbitrum statuimus. Ex locis, ab hoc in commentario in Hoseam laudatis, consensum inter versionem Peschito et paraphrasin Chaldaicam jam ante saeculum quartum locum habuisse, confirmatur. Conferantur loca in Ephraemi commentario ex *Hosea* laudata 2, 13. — 4, 7, 11, 14. — 7, 6, 8, 12. — 8, 7. — 11, 1, 10. — 14, 1, 9.

Nonnulla adeo ab hoc laudata loca manifesto indicare videntur, hanc Syri cum Chaldaeo affinitatem olim arctiorem fuisse, quam quae nunc utrique intercedit. Probatur hoc ex versibus 3 et 4 capitis primi, porro 7, 4. 6. — 11, 6; de quibus, quae in emendationibus textus Syriaci (§. 12.) observavimus, videant lectores. Semel tantum consensum Syri cum Chaldaeo in Ephraemi commentario abolitum invenimus. Verba enim *Hoseae* 10, 8. נִפְלוּ עָלֵינוּ *Syrus* reddidit ܕܢܦܠܘܢ ܥܠܝܗܘܢ *cadant super eos;* quocum facit *Chaldaeus* נְפַלוּ עֲלֵיהוֹן; apud Ephraemum autem legitur ܕܦܠܘ ܥܠܝܢ quod cum *Hebraeo* et LXX: πέσατε ἐφ' ἡμᾶς, congruit. Nos lectionem vulgarem praeferendam judicamus.

[1]) *Abhandlung von der Syrischen Sprache* p. 64 s.

Haec textus Syriaci, quo Ephraem usus est, conditio, jam ante saeculum quartum consensum inter Syrum et Chaldaeum exstitisse, fidem nobis facit. Jam vero iisdem argumentis, quibus freti ipsum versionis Syriacae auctorem LXX consuluisse statuimus, etiam Chaldaicam paraphrasin [1]), ab eodem versionis Peschito auctore in commoda sua versam esse, convincimur. Enim vero enim Syrum cum Chaldaeo in locis intellectu difficilioribus inprimis consentientem videmus. cf. 3, 5. — 4, 14. — 5, 4. — 8, 1, 3. — 10, 13. — 11, 10. — 13, 1. Aliis in locis *Syrus Hebraeum* et *Chaldaeum* conciliare studuit: 2, 13. חֶלְיָתָהּ *Chald.* בַּחֲלִיטַת מַרְגְלִיָתְהָא hinc *Syrus* recepit ܩܕ̈ܫܝܗ̇ —. 3, 5. פחדו *Chald.* יִתְנְהוֹן לְפֻלְחָנָא *Syrus* solum יתנהון, licet perverse, expressit. — 7, 13. שׁר להם *Chald.* בִּזּוּין אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן; hunc sequitur Syrus, ita tamen, ut propius ad Hebraeum accedat ܬܒܪܐ ܐܝܬܝܢ ܥܠܝܗܘܢ *perniciem adduco super eos.* — 14, 9. אפרים *Chald.* יֵימְרוּן דְּבֵית יִשְׂרָאֵל melius *Syrus* ܢܐܡܪ ܐܦܪܝܡ — 2, 8. — 8, 5. 7. — 13, 1. Neque huic sententiae obsunt ii, qui, ut argumenti ultimo loco propositi vim infringant, moneant, paraphrasin Chaldaicam, qua usus sit Syrus interpres, his in locis alium habuisse textum, quam nos in Bibliis polyglottis legimus. Inde enim,

[1]) Simile hujusce rei exemplum offert versio Persica Pentateuchi; vide Rosenmüller: de versione pentateuchi persica. Comment. Lps. 1813. — Eichhorn l. l. P. II. p. 376 ss.

Syrum usum esse paraphrasi Chaldaica, quae nostram longe superasset vetustate, certo probaretur [1]).

Ex his, quae adhuc de Hoseae prophetae versionis Syriacae indole disputavimus, constat hoc: *Versionis Peschito auctorem textum Hebraicum in interpretando secutum esse, simul autem tam LXX, quam Chaldaeum consuluisse. Hexaplorum vestigia omnino apparere nulla.*

§. 16.

Corollarium.

De versionis Chaldaicae aetate atque conditione observationes quaedam.

De aetate, qua paraphrases Chaldaicae, quae Targumim sub nomine circumferuntur, ortae sint, in varias et omnino contrarias sententias abierunt Viri Docti. Alii enim, jam ante Christum natum has paraphrases compositas statuerunt, alii saeculum demum post Christum natum vel quintum, vel adeo recentius iis designarunt [2]).

[1]) Magnopere fallerentur, qui paraphrasin, qua versionis Peschito usus est auctor, Chaldaicam, ad ea tantum loca, quae vulgo Haphtharae appellata, in synagogis recitare solemne fuit, pertinuisse fortasse opinarentur. Rem non ita se habere instituta hunc ad finem comparatio nos edocuit.

[2]) Morinus: exercitationes biblicae p. 521 ss. — Walton: prolegg. p. 82 s. — Richard Simon: hist. crit. du V. T. p. 296 s. — Wolf: biblioth.

Qui autem horum Targumim originem serioribus saeculis vindicarunt, inprimis argumentum hoc urserunt [1]): Paraphrasium V. T. Chaldaicarum vestigia saeculis post Christum natum proximis apparere nulla; nullum eorum ecclesiae Christianae illius aevi scriptorum, qui patrum ecclesiasticorum nomine insigniuntur, ne EPIPHANIUM et HIERONYMUM quidem, harum paraphrasium mentionem aliquam injecisse: hinc sequi, has ipsas paraphrases tunc temporis nondum literis fuisse comprehensas [2]). Haec argumentandi ratio ex iis, quae de versionis Syriacae cum Chaldaica nexu disputavimus, refutatur. Plura enim in versione Peschito e paraphrasi Chaldaica fluxisse, et hunc inter Syrum et Chaldaeum consensum saeculum post Christum natum tertium superare, comprobavimus; unde, jam ante hoc saeculum paraphrases V. T. librorum Chaldaicas literis mandatas exstitisse, constat.

Sed fortasse erunt, qui, utrum textus hujus paraphraseos, qua Syrus interpres usus est, conditio omnino eadem quae nunc fuerit, quaestionem moveant. Hanc quaestionem, qui cum

hebr. II. p. 1134 ss. — CARPZOV: critica sacra. p. 430 ss. — HOTTINGER: thesaurus phil. p. 249 ss. — EICHHORN: *Einleit. in d. A. T.* II. p. 1 ss. — BERTHOLDT: *Einleit.* II. p. 571 ss. — DE WETTE: *Einleit.* p. 80 s. —

[1]) MORINUS, l. l. — EICHHORN, l. l. aliique.

[2]) EICHHORN l. l. p. 19. —

Gesenio [1]) nostram paraphrasin ab uno interprete profectam, statuant, affirment oportet. Attamen negari nequit, singula ejusdem libri capita hujus paraphraseos multum inter se differre; neque eam plures, non unum auctorem habere, et sensim sensimque in eam formam, qua nunc conspicitur, redactam esse, cum rei natura non convenit. Singulorum verborum et versuum explicationes aeque latas atque uberes fuisse, atque eas nunc legimus, vix mihi persuadere possum [2]). Loca, quae ab Syro ex paraphrasi Chaldaica mutuata, notavimus, ut ex iis de totius paraphraseos tunc temporis conditione certi aliquid colligeretur, non sufficiunt. Duplicis textus Hebraici interpretationis in nostro Targum vestigium latet 12, 1. [3]). Verba Hebraei obscuriora עֹד רָד עִם אֵל וְעִם קְדוֹשִׁים נֶאֱמָן explicuit Chaldaeus: וּדְבֵית יְהוּדָה הֲווֹ מִתְקַפִין בְּפָלְחָנָא עַד דִגְלָא עַמָּא דֶאֱלָהָא מֵאַרְעֲהוֹן וְאִנּוּן דַהֲווֹ פָּלְחִין קֳדָמַי בְּבֵית מַקְדְשָׁא מִתְקָרַן עַמָּא קַדִּישָׁא בְּכֵן הֲווֹ קַיָּמִין *cives autem regni Judah validi fuerunt in cultu,*

[1]) Gesenius: *Commentar über den Jesaia.* I. p. 69 ss.

[2]) Walton: prolegg. p. 82. — Gesenius: *Geschichte der hebr. Spr. u. Schr.* p. 72. — Bertholdt: Einl. II. p. 571 ss. — Eichhorn: Einl. II. p. 67. — de Wette; Einl. p. 58 s. — Sic etiam Serviani in Virgilium commentarii sensim sensimque tantum in eam molem accreverunt, qua nunc circumferuntur. cf. Lion: commentarii in Virgilium Serviani I. Praef. p. VI. —

[3]) Alia hujus generis exempla videas apud Eichhorn. l. l. II. p. 72.

donec exularet populus Dei de terra sua, et illi, qui venerationem exhibuerunt coram me in domo sanctuarii, vocantur populus sanctus in eo, quod fuerunt stabiles; ubi altera interpretatio continetur verbis: עד דגלא עמא דאלהא מארעהון מתקרן עמא קדישא בכן הוו קימין quam et tuetur Syrus: ܥܕܡܐ ܕܢܚܘܬ ܥܡܗ ܕܐܠܗܐ ܥܡܐ ܩܕܝܫܐ ܘܡܗܝܡܢܐ *donec descendat populus dei, populus sanctus et fidelis.* Ex Chaldaeo, hunc descensum de migratione in exilium esse intelligendum, patet; textus autem Hebraicus legendus esset: עד רד עם־אל עם ק״. Altera vero inest verbis הוו מתקפין בפלחנא; hinc enim sensum interpretes plures [1]) elicuerunt verbis עד רד עם אל, comparantes hunc ad finem cum voce רד Arabum رَادَ. Porro secunda haec explicatio latet in verbis ואנון דהוו פלחין קדמי בבית מקדשא, quibus explicantur verba Hebraica ועם קדושים. Cujus quidem rei plura fortasse exempla latent in Hoseae versione Chaldaica.

1) cf. Rosenmüller ad hunc locum. Scholia in V. T. Pars. VII. Vol. I. p. 360.

I.
INDEX RERUM.

Pars II.

In versionis Syriacae singulorum prophetarum minorum indolem deinceps inquiritur.

Hoseas.

II.

INDEX LOCORUM,

quae e. V. T. laudantur, insigniorum.

CORRIGENDA.

Quum tam propter locorum distantiam, quam propter sedis inconstantiam, plagellis hisce, antequam imprimerentur, corrigendis operam navare nobis non licuerit, factum est ut, quod aegerrime tulimus, maculae haud paucae dissertationi nostrae adspergerentur. Quae quidem vitia ut, quantum fieri posset, removeremus, nonnullas plagellas denuo imprimendas curavimus; reliqua vitia, nunc indicanda, ut emendent benevoli lectores precamur. — In laudandis locis Syriacis, aliquoties, e. c. p. 2, singulas lineas typis a typotheta non expletas observavi; haec loca orationem vinctam continere, ne opinentur lectores, moneo. — Paginis 17. 60. et 61 signa " pro = posita sunt. — Saepius in prima dissertationis parte literae, in media voce usitatae, pro finalibus in fine vocum adhibitae et interpunctionis signa neglecta sunt. E reliquis erroribus hos enumeramus:

Pag. 1. lin. 25. post ut deest commatis signum.
— 2. — 27. ܩܘܡܘ legendum ܩܘܡܘ.
— 3. — 7. quandam leg. quendam.
— 6. — 19. concessit leg. concessisset.
— 8. — 13. versonis — versionis.
— 10. — 28. συγγραφῶς — συγγραφεύς.
— 11. — 14. 13, 10. — 10, 13.
— 12. — 25. post parenthesin pone duo puncta.
— — — 34. a leg. ab.
— 13. — 16. post elusit pone puncti signum.
— — — 24. Legis Hieronymus inquit. leg. Hieronymus, "legi", inquit,
— 15. — 15. statuerunt leg. statuerent.
— 17. — 6. post retentis deest commatis signum.
— 18. — 11. ܩܘܡܐ leg. ܩܘܡܐ.
— 30. — 17. Fphraemi leg. Ephraemi.
— 33. — 27. ܢܬܚܢܢ leg. ܢܬܚܢܢ.
— 34. — 4. ופכל leg. ומבל.
— — — 5. Puncti signum post pretatur pone ante Quomodo.

Pag. 35. lin. 16. Post ܟܠ deest puncti et post Ephraem commatis signum.

— 37. — 23. leg. ܫܐܕܐ et ܡܫܡܫ.

— 38. — 25. ברכום leg. ברכים.

— 30. — 8. post 2) deest puncti signum.

— 43. — 20. post explicandis desunt duo puncta.

— 44. — — paenultima. אברים Leg. אֵפְרָיִם

— — — — ultima. ܕܟܦܬܐ leg. ܕܟܠܝܬܐ.

— 46. — 25. leg. ܐܡܪܝ.

— 48. — 15. est leg. sit.

— 53. — 11. interpunge: majoris momenti argumentum, ex--- desumtum,

— 55. — 20. non leg. nos.

— 56. — 24. judicarem leg. judicassem.

— 57. — 29. המלך leg. מלך.

— 58. — 3. post ܡܫܝܚܘ deest ܡܫܝܚܝ.

— — — 17. scrib. ܡܕܐܪܐ.

— — — 28. — ܐܡܪ . ܐܘ ܠܐܠܗܐ ܐܘ ܠܒܢܝܐ

— — — 27. leg. ܐܡܪܘ ܠܒܪܢܫܐ ܕܢܗܒ

— 60. — 22. ܐܝܟ leg. ܐܝܟ.

— 61. — 15. Interpunge Nam ut,

— 62. — 22. vindicant leg. vindicent.

— 79. — 6. ܐܕܘܟܠܐ leg. ܐܕܘܟܠܐ

